

JACOB BALDE

ODES (8737 vers)

## ABDOLONYMUS, REGII SANGUINIS OLITOR.

01\_1 v.1 Horto me solitus pascere villici,  
 2 ultra quid cupiam ? Plus neque Juppiter  
 3 in cornu Libyae possidet aridae.  
 4 Tota est summa, satis. Me cichorea, me  
 5 malvarum foliis addita mollibus,  
 6 haud paullo satiant gratius intyba,  
 7 quam lautis avibus Phasis Achaemenae  
 8 hic fons gramineo labitur ubere ;  
 9 et, cum viva manu tempore pocula,  
 10 jucundo residem murmure praeterit,  
 11 hanc, sub qua recubo languidus arbore.  
 12 Commisi tepidis ipse Favonii  
 13 parvum semen agri : cujus origine  
 14 vitae certa meae tempora metior.  
 15 Non stellis Arabum, nec Babyloniis  
 16 intentus numeris, computo secula.  
 17 Adjectum toties frugibus indicat  
 18 annum fida Ceres horaque buxea  
 19 In quascumque notas forfice tonsilis.  
 20 Natura fruimur. Quotquot eunt dies,  
 21 puro sole micant. Somnus agrestium  
 22 lenis, sponte casas intrat et affluit.  
 23 Irrexit Tyriis parcior urbibus.  
 24 Pax et blanda quies rura perambulat.  
 25 Quid fit cura Dueis, nescio laetius.  
 26 Isto continui pullulat otii  
 27 radix alma solo. Purpura vestiat  
 28 infelix alios : me juvet unice,  
 29 quamvis Sidoniis Regibus editum,  
 30 privatis tenuem vivere censibus.  
 31 Haud ignota loquor. Pauperies mei  
 32 regnum majus habet. Dicitur omnibus  
 33 Rex est, degeneres qui posuit metus :  
 34 qui cum possideat pauca, cupid minus,  
 35 apponitque lucro. Non bibo Caecubum  
 36 nec porrecta scyphis toxica gemmeis.  
 37 Non subter niveis velleribus cubo ;  
 38 nec moestus vigilo. Terreo neminem,  
 39 a nullis pavidus. De solio tonat  
 40 Fatum. Tuta salix fulminis, integrum  
 41 sedem praebet humi, nec violabilem.  
 42 Semper celsa tremunt : et capita ardua  
 43 toto praecipitant saepius impetu :  
 44 ut nunc summa meto colla papaverum.  
 45 Ne me, ne genitis vellite floribus,  
 46 Pellaei proceres. Hic moriar senex,

47        hic vixi juvenis. Linquite jugera  
 48        gaudentem placitis findere sarculis.

AD GUILIELMUM LASUM GUELPHI LASI F. MODERATIONIBUS OBTEMPERANDUM ESSE.

01\_2      v.1        Ne tibi Guelphi Lase sit pudori,  
 2            quod seni pares juvenis Magistro.  
 3            Paruit primos vetulae sub annos  
 4                Romulus Accae.  
 5            Paruit cani monitis Acestae  
 6                clarus Evandro genitore Pallas :  
 7                saeva mandantem veritus colebat  
 8                hoplea Tydeus.  
 9            Nulla non aetas moderante cursum  
 10          indiget freno. Socianda vis est.  
 11          Tutius navis gemino per undas  
 12                remige currit.  
 13          Parvus, et nondum variare solers  
 14          Juppiter formas, timuisse matrem  
 15          fertur, et caesa ruditis ausa culpae  
 16                Pelle luisse.  
 17          Tunc soror, tantum soror esse visa,  
 18          serta nectebat placitura fratri :  
 19          facta, custodem simul axe movit,  
 20                denique conjux.  
 21          Si Jovi semper vigilasset Argus :  
 22          inter aprorum fruticeta numquam  
 23          turpe peccasset, vetitus ferarum  
 24                ducere vultus.  
 25          Rex sui juris, prohibente nullo,  
 26          aureus fluxit ; sibi sumpsit alas,  
 27          arsit Europen ; mediisque taurus  
 28                mugit undis.  
 29          Quo per aestivos puerile soles  
 30          luserat telo, vir adultus atrum  
 31          vertit in fulmen, proprioque fecit  
 32                fulmine digna.  
 33          Nempe festinat puer interire  
 34          pronus in lapsum, nisi fulciatur.  
 35          Altius serpunt hederae, marita  
 36                ilice nixae.  
 37          Bacchus Indorum domitor, flagellis  
 38          ante Sileni domitus ; sedebat  
 39          ad senis limen gravido Tonantis  
 40                poplite natus.  
 41          Horridae leges ! Equitante Fauno,  
 42          jussus in campos pedes ibat Euan :  
 43          jussus urgebat remeare lentum  
 44                Patris asellum.  
 45          Donec inventis redimitus uvis,  
 46          marcidum thyrso populante Gangem  
 47          Victor effregit. Maculis nitentem  
 48                nebrida cinctus.  
 49          Thessalae debes tua fata rupi,  
 50          Hector everso resupine curru :  
 51          Inde vastator Priamo timendus

52                   venit Achilles  
 53       ille calcatis Asiae sepulcris  
 54       signa fixurus, puer imperantis  
 55       sub Capri barba ferulaque vixit :  
 56                   credite Teucri  
 57       lustra majorum nemorum coegit  
 58       et specus foetas penetrare Chiron :  
 59       quo cubans praedam catulis leaena  
 60                   dividit antro.  
 61       Tela Centaurus docuit rotare,  
 62       saxa moliri, superare fossas,  
 63       stare Sperchium glaciemque contra, et  
 64                   sistere flumen.  
 65       Fessus ex sylvis quoties redibat,  
 66       censor inspectis rigidus sagittis,  
 67       semifer sparsum tigridis cruento in  
 68                   colla levavit.  
 69       Sic meus nosci cupias alumne  
 70       fortis, aiebat. Posita pharetra  
 71       disce nunc cantus etiam, lyraeque  
 72                   fila sonorae.  
 73       Et fuit quidam lepor, intueri  
 74       ante ludentem cithara bicorni ;  
 75       pone motantem satyrum sequacis  
 76                   pendula caudae.

## THOMAE MORI

01\_3      v.1      Hic ille Morus, quo melius nihil  
 2            Titan Britanno vidi ab aethere,  
 3            funesta cum Regem Bolena  
 4            illicito furiasse aestu :  
 5            audax iniquas spernere nuptias  
 6            Amore veri, propositum minis  
 7            obvertit Henrici, tyranno  
 8            fortior, indocilisque flecti.  
 9            Non carcer illum, non Aloysia  
 10          dimovit uxor : nec trepidus gener.  
 11          Nec ante Patrem Margarita  
 12          femineo lacrimosa questu.  
 13          Fertur monentem mitia Conjugem,  
 14          sed non et isto digna viro, procul  
 15            abs se remotam, cum feroci,  
 16            ut fatuam, pepulisse risu.  
 17          Mox, qua fluentem se Thamesis rotat,  
 18          ad destinatum funeribus locum,  
 19            casto coronandus triumpho,  
 20            per medios properavit Anglos.  
 21          Ductum secuta flente Britannia,  
 22          non flevit unus ; marmore durior,  
 23            et certa despectante vultu  
 24            Fata tuens, hilarisque torvum,  
 25            atqui sciebat, quid sibi regius  
 26            tortor parasset. Non aliter tamen  
 27            quam laureatos Sulla Fasces,  
 28            ipse suam perire securim.

29 Plenus futuri quo tumulo stetit,  
 30 postquam paventem carnificis manum  
 31      mercede firmasset, cruento  
 32      colla dedit ferienda ferro.

## AD BENNONEM COSSAM

01\_4 v.1 Non, si quid juvenem frangere Lascarum,  
 2 et te, Cossa, decet, cui rigidus sedet  
 3      hirta fronte December,  
 4      nix incana tegit caput.  
 5 Illum multa sinas ludere, seu lyra,  
 6      seu malit crotalo. Te refugit senem  
 7      calvum flavus Apollo :  
 8      te putrem, quia putris es.  
 9 Non dens, non oculus, non cerebrum sapit,  
 10 infans nasus hebet, dimidio minor,  
 11      multo mucidus imbri.  
 12 Nullo gratus acumine.  
 13 Ut rugas taceam : scrobs hiat unicus  
 14 In vultu. Quid habes illius, illius  
 15      clamantis, pater Euan !  
 16      Clamantis, pater Euius ?  
 17 Frustra sollicitas, frigide, Cythium.  
 18 Odit flamma gelu : nec vetulus, bene  
 19      certas cum Tegeaeis  
 20      vervex currere capreis.  
 21 Eheu ! Desine diffindere tibias.  
 22 Terres funereo Melpomenem sono :  
 23      psallit suavius ales,  
 24      noctem qui mediam fugat.

## AD PETRUM HILDEBRANDUM S. J.

01\_5 v.1 Arcana Mundi, numine percitus  
 2 proferre cogor. Credite Vatibus.  
 3      Non omne caelum rupis instar,  
 4      aut solido riget aere fusum.  
 5 Datur natari. Nuper inivimus.  
 6 Campos aquarum ; sed radiantium,  
 7      campos liquentes, totus Aether  
 8      irrigui madet ignis imbri.  
 9 Crispata claris vidimus aequora  
 10 ardere squamis. Vidimus aureis  
 11      delphina luctari sub undis,  
 12      et nitidos vomere ore rivos.  
 13 Sunt stagna caelum mollia navibus  
 14 sulcanda veris, vidimus alteram  
 15      Argo coruscantem, secunda  
 16 aetherio dare vela ponto.  
 17 Castorque et ovo natus adulterae  
 18 Pollux eodem, per pelagi minas  
 19      Nixi, procellosumque lumen,  
 20 astrigeris secuere remis.

21 Regno secundi caeruleo Jovis.  
22 Vix aula Primi distat, in aere.  
23 Quod nos opinamur trisulcum  
24 fulmen, habet faciem tridentis.  
25 Quassata cujus spicula, fulgura ;  
26 aestus marinos, rauca tonitrua  
27 vocamus ignari locorum,  
28 eminus impediente nube.  
29 In ludibundo gurgite, mobilem  
30 fulvi per aethram solis equi movens  
31 se more phocarum priore  
32 parte sui Pyroisque, et Aethon,  
33 Phlegonque tollunt altius ungulas :  
34 membris flagrantem posterioribus  
35 solvuntur in Piscem, et fluentis  
36 signa fugae rutilante cauda  
37 impressa delent. Hic et Aquarius  
38 Triton recurva lampade personat.  
39 Hic Luna Tethyis, Plias Ino,  
40 Erigone Galatea visa :  
41 Martisque Siren puniceas Venus  
42 tranare lymphas. Nereidum choro  
43 hinc inde stellarum meante,  
44 perspicui miciuere fluctus :  
45 incensa splendent omnia. Luteus  
46 scintillat humor. Se penetrabilem  
47 crystallus indulget carinis,  
48 et manibus liquefacta cedit.  
49 Vero profundo cancer, et igneis  
50 inserpit undis : veraque flumina  
51 manant Olympo, testis arva  
52 Eridanus per aprica torrens,  
53 dum concitati vortice luminis  
54 In axe late vibrat et infulas  
55 molitur illustres pyropis ;  
56 post croceum subit haustus aequor.  
57 At nec sereni monstra maris truces  
58 desunt cometae : parva quibus procul  
59 venire conspectis, rubentem  
60 sidera diffugiunt in algam.  
61 Quamquam hos et ipsi terrigenae pavent  
62 longe remoti : Larva simul polo  
63 illuxit, et barbata Cete  
64 terribilem variant figuram.  
65 Balaena flamas non aliter secat,  
66 quam mullus Istrum : nam rapidum jubar  
67 a fronte, spumosaeque lucis  
68 exsiliens jaculatur amnem.  
69 Haec Hildebrando, Musa, refer meo.  
70 Fortasse nolit, credere, candidam  
71 tum lactis, intritique magna  
72 In patera, cita, panis, offam,  
73 bis terve gyra turbine pollicis,  
74 sic astra, dices, in liquido natant  
75 permista caelo. Credet ille  
76 protinus Alsatiae Columbo.

## AD MATHIAM RASONEM

01\_6 v.1 Si circumspicias te, Raso, non tua ;  
 2 paucis dives eris. Quae data pertinax,  
 3 Fortunae fragilis munera respuis,  
 4 a te plenius impetas.  
 5 Gaudet Diva quidem mobilis appeti,  
 6 servilemque trahit vulgus ad ambitum :  
 7 ut quas caeca nuces spargit, aventibus  
 8 turbis diripient manus.  
 9 Sed tu pelle procul, ne tremulum velis  
 10 incurvare genu : neu Laribus vagam  
 11 dignatus Dominam, suppliciter pedes  
 12 turpi stringere basio.  
 13 Sin fractis humilem cumque subiverit  
 14 portis ipsa domum ; seu trabeas ferat,  
 15 seu caestum ; pariter cedere nescius  
 16 dic ad limina januae :  
 17 quas promittis opes, jam teneo : meum est,  
 18 quidquid sperno tui. Nil cupientibus  
 19 et nil deesse potest ex solido bona  
 20 mens semper sibi sufficit.

## AD SIMONEM ISSUM

01\_7 v.1 Res Amor mira est, videt, Isse, caecus  
 2 caecus est, quamvis oculo vidente  
 3 natus, absentes Amor urit absens,  
 4 proximus exul.  
 5 Siccus in venis, madidusque vultu :  
 6 siccus humectat, madidusque flagrat ;  
 7 fervidus tectae gelidusque flammae,  
 8 ardet et alget.  
 9 Quando festivas quatit igne taedas,  
 10 lumen exstinguit : niveique floris  
 11 praedo pallenti violas vicissim  
 12 pingit in ore.  
 13 Non habet frontem : tamen est venustus,  
 14 navigat terras : volat absque pennis.  
 15 Vilis ac parvus puer, heu feroce  
 16 sternit Atridas,  
 17 qui caret pilis, metuenda vibrat  
 18 tela ; non longas jaculatur hastas :  
 19 pectori plagis acus inferendis  
 20 sufficit una.  
 21 Missilem linguam capit ex pharetra  
 22 oris, et figit jecur ulcerosum  
 23 stulta plebs arcu putat et sagittis  
 24 grandibus uti.  
 25 Ille (sic monstrat Cytherea mater)  
 26 non boum tendit sinuare cornu :  
 27 sed manus junctas utriusque amantis  
 28 curvat in Arcum.

## EQUUS TROIANUS

01\_8 v.1 Sic est : peritur non sine sumptibus.  
 2 Funesta multo Marte pericula  
 3       quaeruntur, et curis, labore  
 4       damna suo pretioque constant.  
 5 Nostris volentes usque doloribus  
 6 favemus ipsi. Quanta sub Hectore,  
 7       felix et inconcussa Troja  
 8       staret adhuc, Priamique regnum,  
 9       si noluisset crimine decipi !  
 10 Ingens Epei machina sistitur,  
 11       mons foetus armis et latenti  
 12 Myrmidonum Dolopumque nube :  
 13 equum Juventus Dardana ligneum  
 14 visura, longo protinus agmine  
 15 divisit, emovitque portas,  
 16 laeta malo propiore muris.  
 17 Urgente Fato, Fata quis arceat ?  
 18 Praesagiebat Laocoön dolum :  
 19       sed in cavernas, nempe, frustra  
 20 impulerat moniturus hastam.  
 21 Jamque omnis aetas mista senum ruit  
 22 virumque, diris fervere gaudiis.  
 23       Utrimeque ludentes puellae  
 24       ingeminant puerique carmen.  
 25 Pars vincla nectunt stuppea : pars jubas  
 26 formidolosi plaudere roboris  
 27 nituntur in scalis : ovanti  
 28       pars similis, pedibusque lapsus  
 29       et provehentes subiciunt rotas :  
 30 fatale donec constitit ardua  
 31 lateque despexit catervas  
 32       Palladium super Urbe monstrum.  
 33 Heu ! digna perdi Dardaniae domus,  
 34 captis Ulyssem moenibus invehis !  
 35 Sic notus, o cives, dolosi  
 36       vultus et ingenium Sinonis !  
 37 Hinc versa fumant Pergama funditus.  
 38 At si fateri non pudet, Alcime ;  
 39 insana plures culpa tangit.  
 40       Sero Phryges sapiere quondam ;  
 41       nunc noster Orbis sero nimis sapit,  
 42 aequanda stulta Patria Teucriae.  
 43 Non solus aut primus nepotes  
 44       Rex fatuos generavit Ilus.  
 45 Europa nullum non habet Ilion.  
 46 Ubique Xanthus sanguine decolor ;  
 47 ubique Germanos videbis  
 48       In fluvios Simoenta volvi.  
 49 Nutrimus hostes in medio sinu :  
 50 Suecos fovemus. Rex Alemanniam  
 51 vastator intravit vocatus.  
 52       Splendidius periisse, lucrum est.

## AD LEONTIUM CRINALLUM

01\_9 v.1 Te magnum volo consulem,  
 2 non urbis Latiae, vel Lacedaemonum  
 3 causas noscere, sed tuas.  
 4 Te, Crinalle, tibi lynceus infere :  
 5 dum tecti latebras sinus  
 6 omnes excutias ; nec sinat amplius  
 7 Thule pectoris ultimas ;  
 8 et Natura suis obvia Gadibus,  
 9 jussum sistere navitam  
 10 plus ultra vetet. Hinc ducat in otium  
 11 purae mentis, et insulam  
 12 clamoso populi sepositam freto.  
 13 Quid vicinus agat Ligur ;  
 14 quid Serranus aret, quid ferat ac metat ;  
 15 quot naevis facies Titi  
 16 signetur, quoties Pantolabus bibat ;  
 17 securus bene nescias.  
 18 Prudens multa domi crimina transilit,  
 19 lictores sine tetricos  
 20 verrucas populi figere tristium  
 21 ad subsellia judicum.  
 22 Plebeisque diem dicere moribus.  
 23 Tu noctem vigila tuam ;  
 24 indignumque puta flagitio frui.  
 25 Delator, licet utilis  
 26 credatur vitiis tendere retia ;  
 27 semper se magis inquinat.  
 28 Sit belli ducibus proditio bona ;  
 29 numquam proditor optimus.  
 30 Odit posteritas nunc quoque Tantulum  
 31 illo deterius nihil,  
 32 qui se ferre malum, non alios potest.

## AD GENEROSUM DOMINUM. ANDREAM MARONIUM

01\_10 v.1 Per fretum Scyllae, Libycasve Syrtes  
 2 fide fallaci, fugitive, vento,  
 3 fide, quantumvis fremat unda : sed ne  
 4 fide puellae.  
 5 Illa non uno sinuosa tractu,  
 6 mille natura variante fraudes  
 7 circinat retro ; totidemque in orbem  
 8 damna retorquet  
 9 larga verborum, sed avara veri,  
 10 Emicat quovis dubitanda nictu,  
 11 vultus ut mendax, ita quae sequuntur  
 12 Gaudia vultum.  
 13 Turget in dotem, reseransque spondet  
 14 candido plenas animo mamillas :  
 15 interim fallax et iniqua putri  
 16 ubere lactat :  
 17 urit, et flammae cinerem dolosum  
 18 versat in venis, etiam pudica  
 19 init curas : etiam modesta

20 fallit amantem !  
 21 Cum ratum credis geniale pactum,  
 22 Spes tuae toto thalamo dehiscent.  
 23 Nupta vicinum propiore taeda  
     saevius urit.  
 25 In sua felix sibi visa culpa  
 26 crimen obliquat, quod amare jurat,  
 27 odit et juris sibi pejerati  
     conscia ridet.  
 29 Hujus in primis oculos caveto,  
 30 sed magis laevum, nocet illud astrum  
 31 plurimum menti ; tacitumque fulgur  
     palpebra condit,  
 33 quidquid autumnus croceique Flora  
 34 veris aspirat, nihil heu colori  
 35 anguum distat, decor ille blandis  
     sibilat hydris.  
 37 Supplicem formam fuge, quae capillos  
 38 sparsa procumbit, tenero petitur  
 39 flentis a questu, lacrimaeque pondus  
     fortius addunt.  
 41 Hic labant turres, etiam virile  
 42 pectus his tandem precibus liqueficit.  
 43 Hic suas vires, sua novit arma  
     sexus inermis  
 45 dum tacet, clamat facies venusta :  
 46 dum negat, poscit, dolor est disertus.  
 47 Ah ! Loqui frustra prohibebis ullam  
     muta perorat.  
 49 Mollior cera mulier fluente ;  
 50 durior saxis eadem marinis,  
 51 flectit aut frangit : violenta durum  
     lubrica mollem.  
 53 Donec optata potiatur hora :  
 54 donec arcanum penetret mariti ;  
 55 nec sibi parcit, nec in orbe quidquam  
     linquit inausum.  
 57 Ni vetes tangi, moriere caecus.  
 58 Quot tibi crines malesana demit ;  
 59 fila tot vitae, gemina tot annos  
     forfice tondet  
 61 feminae certum sinus est feretrum ;  
 62 funis, amplexus ; tumulus cubile :  
 63 verba sunt Lessus ; glaciale letum. In-  
     sana voluptas.  
 65 Testor expertus mala. Testis horum  
 66 nostra Thamnitis, properate Dirae  
 67 vindices : Samso, gome ! Testis, eheu !  
 68 Dalila nostra !

## COMMENDAT FLAVII LEONIS

01\_11 v.1 Vinum Falerno nectare dulcius,  
 2 et quale numquam protulerit Rhodos :  
 3     assuesce crystallum subire  
 4     Lene fluens, phialaque fundi.

5        Velis solutum compede dolii,  
 6        mensam Leonis visere crebrius.  
 7        Hoc Castor et Pollux amici,  
 8        hoc avidi Lupiceus orat  
 9        comes Melichi. Tu neque nubila  
 10      fundo minaris : nec capiti graves  
 11      inducis umbras : nec feroci  
 12      Bella geris metuenda thyrso.  
 13      Sed mite duci prolicis hospitem,  
 14      quamvis paventem. Te penes et joci,  
 15      castaeque Musarum Camoenae,  
 16      et teneri sine lite risus.  
 17      Te Juno furtim ; forsitan et inscia  
 18      Junone, laetus Juppiter hauserit :  
 19      malitque Bacchus se relicto  
 20      te bibere et suus hinc renasci.

## AD AMPHORAM CEREVISIARIAM

01\_12   v.1       O nata Capri sidere frigido,  
 2        seu tu querelam, sive geris minas,  
 3        seu ventris insanum tumultum, et  
 4        difficilem mala testa somnum ;  
 5        quocumque servas nomine toxicum,  
 6        numquam moveri digna bono Dei ;  
 7        averte nolenti poetae  
 8        promere languidius venenum.  
 9        Non ille, quamquam Gorgoneis madet  
 10      assuetus undis, te bibet horridus.  
 11      Narratur et Bojus Menalcas  
 12      saepe tuo doluisse aceto.  
 13      Tu triste tormentum ingenio admoves  
 14      plerumque leni. Tu sapientium  
 15      et pectus oblimas, et ora ;  
 16      ne retegant animum fidelem.  
 17      Te pestilentem negligit anxius  
 18      dives : sed addis cornua pauperi ;  
 19      post te, neque iratos trementi  
 20      regum apices, neque militum arma.  
 21      Te Messor, et quae cocta aderit Ceres,  
 22      segnesque nodum solvere rustici,  
 23      unctaeque producent lucernae,  
 24      dum rediens fugat astra Phoebus.

## AD LINUM WISONETHUM

01\_13   v.1       Si quid perdideris, veto  
 2        turpi cum gemitu dicere. Perdidi  
 3        sed Fortuna suas aves  
 4        noctu, nescio quo, transtulit : avolent.  
 5        Nec moestum facit haec fuga  
 6        nec si divitiae mox revolaverint,  
 7        inventis ero laetior.  
 8        Jamque ipsum abjiciam cum grege perfido

9           nidum degeneris spei.  
 10          Frustra est ampla domus, si capit incolam  
 11          totum quilibet angulus.  
 12          Haec tellus, ubi sto, subicitur mihi.  
 13          Non quam nomine metior  
 14          absens, vel digitis eminus indico.  
 15          Curarum impatiens casa  
 16          Virtutisque capax, exiguo licet  
 17          circum limite finiat ;  
 18          dicetur stadiis major Olympicis,  
 19          Tarpeioque Palatio,  
 20          quod tantum vitiis est habitabile,  
 21          aulam regia liberam  
 22          Urbem, quaeque sibi libera mens facit ;  
 23          quaeque obnoxia carcerem  
 24          longe nobilior vocibus his, Line,  
 25          quam sit mollis Arabs tibi  
 26          regnantique duplex pareat India ;  
 27          et fulvi glaciem Tagi  
 28          confundat rutilis Lydia fontibus.

## PYLADIS HORTUS. SYMBOLUM AMICITIAE.

01\_14     v.1    Exuli cum se Pylades Oresti  
 2           jungeret, caris geminandus annis ;  
 3           duxit, haec fatus, per amoeniorem  
 4           Phocidos hortum.  
 5           Frater, o flagrans animi medulla,  
 6           pars sacri major meliorque veris.  
 7           Ex meo discas utinam vireto,  
 8           quid sit amicus :  
 9           fraudis expertes violae leguntur.  
 10          Candidam pectus referant ligustra :  
 11          germinant nigrae, tamen optimae vac -  
 12            cinia famae.  
 13          Flos Amor, flos est juvenilis horti :  
 14          quem creat Virtus, redolet sereno  
 15          Pulcher aspectu, placidusque longum  
 16            durat in aevum.  
 17          Ecce fons mersos penitus lapillos  
 18          pervio veri retegit liquores.  
 19          Quidquid in fundo latet amnis imo.  
 20            Prodere garrit  
 21          fontis in morem penetrale nuda  
 22          neuter arcanum tacitus recondat ;  
 23          Corde crystallus fluat ex aprico  
 24            clara videri,  
 25          cur diu celes animi dolorem ?  
 26          Prome : dispersus minuetur extra.  
 27          Qui tibi luget, tibi gaudet, hic est  
 28            verus amicus.

## IOCUS SATURNALIUS

01\_15     v.1    At tu supino crassus in otio

2        curas nitentem, nauta, cuticulam  
 3            gravare non segnis vehendum  
 4            ventris aqualiculum saburra  
 5            conviviorum perpetuus fluit  
 6        Euripus et te portat in amphora  
 7            velut phaselο ; strata primum  
 8            litora depositis legentem  
 9            noctu culullis, mane frequentius  
 10       rursus ciebit remigium dies,  
 11            spumantis in vini procellas.  
 12       Et pelagus geniale Bacchi.  
 13       Non vultus idem, non eadem mihi,  
 14       amice mens est. Ut palearibus  
 15            distentus armenti maritos  
 16            Helvetici bovis instar aequem  
 17            nativa longi linea corporis  
 18            et umbra nobis ; qualis imaginum  
 19            prima colorandam figura  
 20            proicitur rudis in tabellam,  
 21            suffecit olim : nunc quoque sufficit.  
 22       Tantum opto pulpaе, quantum oculus potest  
 23            obtusus, ad Lunae lucernam,  
 24            auxilio vitreo tueri.  
 25       Pingues tabernas par animus subit.  
 26       Et ipse pinguis. Mens bona sepibus  
 27            vel osseis contenta vivit,  
 28            et modicos statuit penates.  
 29       Frugalis hospes. Quanto habitet loco,  
 30            nil interest. Mox se speculabitur  
 31            immensam, et aeternos in orbes  
 32            non humiles feret alta curas.  
 33       Sed tu sagina perge Sabellicum  
 34            aequare porcum ; perge capacius  
 35            dolere, Trojanumque magnis  
 36            sumptibus aedificare corpus.  
 37       Me, me hirta pellis, me facies juvet  
 38            Paphnutianis horrida vallibus,  
 39            multumque fidens ; et vel ipsis,  
 40            nil fugiant, metuenda Faunis.

## LAUS R. P. JEREMIAE DREXELII

01\_16   v.1   Ille et secundis flavit Etesiis,  
 2            facturus orbi delicias dies,  
 3            grataque tempestate florum  
 4            Vindelicos madefecit agros,  
 5            quo te, ligustris, alba, cadentibus  
 6            Augusta, pulchra filia Gratiae,  
 7            de Matre, Drexeli, cadentem  
 8            sidereis bene pressit ulnis.  
 9       A fonte lucis non pueriliter  
 10       jam tum petebas lac sapientiae ;  
 11            nutricis Astraeae liquorem.  
 12       Et niveum Pietatis uber  
 13            suxisse certus. Diceris influens  
 14            hausisse nectar Castalidum puer :

15       lyramque et arguto Camoenas  
 16       pollice sollicitasse nostras ;  
 17       jam tum fragrantis mella scientiae  
 18       legisse felix. Qualis adhuc olens  
 19        praegnantis involucra cereae.  
 20       Prata tamen genioque gratum  
 21       Aestate prima quaerit amaracum,  
 22       rosasque flantes, ac Zephyri crocum ;  
 23        ut delibutas rore flavo  
 24       stipet apis redditura cellas.  
 25       Hinc ille libris dulcis inest thymus.  
 26       Hinc tot replentis pocula, quem tuae  
 27        favum propinavere pennae.  
 28       Virgineo bibit ore charta ;  
 29       sитимque plenis copia paginis  
 30       extinxit orbi. Quis potior viam  
 31        Virtutis, astrorumque plebi  
 32       purpureas aperire valvas ?  
 33       Mulcent paventem. Non soliti metus,  
 34       formidolosae cum sonitu tubae  
 35        aeterna profers. Ad susurros  
 36       Lene Dei trepidare prona  
 37       mox omnis aetas subsilit et dolos  
 38       Fortunae et altae fulgura gloriae, et  
 39        famae tonitru, et fulmen irae,  
 40       et pluvias pede calcat hastas ;  
 41       Fatumque, casumque et retinacula  
 42       molesta curarum, et dubias vices  
 43        transvecta : qua late corusco  
 44       Seraphicos equitantis ignes  
 45       quadriga Solis fertur in aethere.  
 46       Qui sole tanto clarior altero,  
 47        per Christiani signa tendit  
 48       Zodiaci duodena cursum ;  
 49       olim beandis nobile mentibus  
 50       metatus aevum. Talia plurimus  
 51        tecum volutabas in umbra,  
 52       Pacis amans, placidaeque scenae.  
 53       Hic et theatrum solus eras tuum,  
 54       et actor et spectator, in intimo  
 55        tui recessu. Vita purae  
 56       instar aquae sine labe fluxit.  
 57       Os vero Delphis relligiosius,  
 58       vultusque pallens, et Macie sacer ;  
 59        imago tam dulcis videnti  
 60       quam gracili veneranda metro  
 61       eheu ! Cinis nunc sub tumulo jaces,  
 62       quo Musa, stulte flebilis ? Improbam  
 63        compesce chordam ; cujus impor-  
 64       tuna necem gemis, ille dormit.  
 65       Monenda jam nunc, ut tacito pede  
 66       juxta sepulchrum molirer ambules.  
 67        Senis fatigati quietum  
 68       parce sono violare somnum.

## AD CL. VIRUM CHRISTOPHORUM CARUM

01\_17 v.1 Nil vulgare canam regibus, in munere publico  
 2 frons privata placet, mensque potens ferre potentiam.  
 3 Mirabor juvenem, non avidum, non nimium sui ;  
 4 dum suadet segetes sternere falcata licentia et  
 5 igni vena calet. Quod rubeat sanguine piscium,  
 6 gemmis vina bibat, sub Tyria dormiat iride ;  
 7 tanti non mihi sit, scire peto, Care, quid imperet  
 8 regnans Ascanius num reliquis omnia ; nil sibi.

## AD VALERIUM LORCAM

01\_18 v.1 Ingens, Lorca, periculum  
 2 evasisse puta te, bene nuptias  
 3 mutantem sterili toro.  
 4 Mentem tam solidam dii dederunt tibi.  
 5 His felix monitoribus.  
 6 Praefers taedifero pulcra Cupidini  
 7 cerae lumina virginis.  
 8 Sic caecum per iter noctis et horrida  
 9 ventis tristibus aequora,  
 10 fixis sideribus sidere certior,  
 11 errantem Venerem fugis.  
 12 Quod pridem tabula debuit aenea  
 13 testari paries sacer :  
 14 vitasti scopulos, ac Cypri maris  
 15 Fescennina sonantia.  
 16 Ut nullo metuas naufragio mori ;  
 17 delectent, age conjugem,  
 18 appendix thalamis fixa jugalibus,  
 19 proles, cura, labor, metus  
 20 et, quam sola queat reddere mors, putri  
 21 Libertas oculo ; quies  
 22 eheu ! perpetuis vendita jurgiis ?  
 23 Cunae cum tibi vagient,  
 24 et res dotis egens coeperit atteri :  
 25 pullis grana potentibus,  
 26 qua vellas capit is parte miser pilos ?  
 27 Sin et tigridis e specu  
 28 uxor prodierit non sine clavibus ;  
 29 malis tunc Scythicas sequi  
 30 infelix acies, castraque Bistonum.  
 31 Aut frangi laqueo gulam.  
 32 Non est obsidio militis arctior  
 33 moesti conjugio viri,  
 34 optantisque fugam et brachia Daedali :  
 35 non victoria laetior,  
 36 quam cum rupta trucis vincula feminae.  
 37 Solvunt munia comparis.  
 38 Ortus Westphalica stirpe Tigestio.  
 39 Desponsae Eumenidis satur ;  
 40 postquam Tisiphonen expulerat foras.  
 41 Victor ter recinens, io,  
 42 quernis implicuit tempora frondibus :  
 43 seu servasset atrocium

44 a flammis Senonum moenia Romuli.

GOTEFRIDI HENRICI PAPPENHEMII, CELEBERRIMI HEROIS, GERMANI...

01\_19 v.1 Fama, quid narras ? Cecidit : nec ultra  
 2 se feret campo, fuit ille vester  
 3 Hercules Franco : fuit et triumphos  
 4 intulit umbris.  
 5 Pone plus justo , mulier, loquaci  
 6 pessulum linguae ; mala Fama, fastum  
 7 pone. Quid vanis aliena verbis  
 8 Fata laccessis.  
 9 Heu pudor ! Semper meritos honores  
 10 deterit vulgus : neque bella justa  
 11 lance metitur, ducibusque Livor  
 12 digna rependit.  
 13 Gloria nullo minuenda casu,  
 14 alta sublimi manet ore Virtus :  
 15 Sola percussis labefacta nervis  
 16 corpora sidunt.  
 17 Stare si quondam vetat in duello  
 18 sors virum, non et vetet incubare  
 19 grandibus factis. Situs hic jacentem  
 20 altius effert.  
 21 Qualis Alpino ruit icta ferro  
 22 quercus et postquam pedibus solutis  
 23 colla dejecit, medio fragore  
 24 provocat Austros.  
 25 Sic Alexander Libyci Tonantis ;  
 26 sic humi Tydeus Danaum quievit,  
 27 strage Thebana, nimioque leti  
 28 pondere fessus.  
 29 Rebus adversis animus probatur,  
 30 num sibi constet. Fremat hostis arma ;  
 31 vera libertas medios per ignes  
 32 vadit et enses.  
 33 Nil moror plebem. Jacet ille magnus,  
 34 qui cadit magnus. Celebrat ruina,  
 35 non premit fortem : titubatque pulcra  
 36 truncus in ira.  
 37 Vulnus armatum decorat cadaver.  
 38 Comit hoc rupti sacer oris horror ;  
 39 et cicatrices, et adhuc ferocis  
 40 rudera vultus.  
 41 Fracta labenti senio vetustas,  
 42 saepe majorem titulum meretur,  
 43 quam recens murus. Monumenta prisca  
 44 consule Romae.  
 45 Crebra famosam faciunt sepulcra.  
 46 Arduam vento quatiente molem,  
 47 Cum mare et litus Rhodii replerent  
 48 fragmina monstri ;  
 49 Solis in sese recidens Colossus,  
 50 advenis aeque jacuit stupendus :  
 51 donec impostum grave funus ave-  
 52 xere Cameli.

53 Transiens illac aliquis viator,  
 54 dixerit visa digitii columnaa :  
 55 hic vir erectus feriebat astra,  
 56 major Olympo.

## CARMEN SATURNALIUM. AD EDMUNDUM RAGUSIUM

01\_20 v.1 Quid fles, Ragusi ? Cur madidum fricas  
 2 tergisque lumen ? Quod trieterida  
 3 emensus octavam, triennem  
 4 ore tenus referas pueram ?  
 5 Tantumne credis numen inutili  
 6 subesse barbae ? Viliis opinio  
 7 accedit immatura vota, ut  
 8 pica puerperiis molesta est.  
 9 Desiste nudo quaerere pensilem  
 10 ab ore lanam ; quam manus involans  
 11 obliquet, obliquamque tractim  
 12 mulceat, et decies repectat.  
 13 An non tremendum se Bromius Deum  
 14 glaber probavit tristibus Indiis ?  
 15 Glaber laboratoque vitro  
 16 laevior est Patareus Apollo.  
 17 Castas sorori Juppiter Anxurus.  
 18 Et non pudendas elicuit faces,  
 19 Barbatuus idem semper ira,  
 20 semper adulteriis flagravit.  
 21 Imberbe molles sunt Zephyri genus.  
 22 Mystax severum degravat Africum :  
 23 appensa labris Caurus atro  
 24 vellera fert glaciata nimbo.  
 25 Tritona totum paene tegunt pili :  
 26 tamen reluctans Cymodoce fugit.  
 27 Sed Acis, et glaucus Palaemon,  
 28 quod pueri, placuere Nymphis.  
 29 Desiderabis, dic, age, floridi  
 30 vultus Lattonem gravior hac nive  
 31 luces et ostro : qualis ibat  
 32 non tibi Parthenopaeus impar.  
 33 Hirsuta buccae Sympulus, ah ! sine,  
 34 Faunique jacent et Satyrum chorus :  
 35 vel si quis alter fronte portat  
 36 grandem oculi Polyphemus orbem.  
 37 Quaenam illa tandem gloria depilis  
 38 Edmunde, mento ferre, quod omnium  
 39 foetens capellarum maritus  
 40 gestat, in opprobrium virorum,  
 41 peculiari non sine nomine ?  
 42 Aruncus omnis causa Tragoediae.  
 43 Nec rex Ahenobarbus Hircum  
 44 saetigero superabit ore.  
 45 Sin dira saevae rixa cupidinis  
 46 prurire pergit ; spes patitur moras :  
 47 substringe saltem triste curis  
 48 pectus, et in meliora differ.  
 49 Nondum videmus secula Nestoris.

50 Adhuc in ipso limine vivitur ;  
 51 adhuc in ipsa messis herba  
 52 lactis eget, tenerique roris.  
 53 Perrumpet olim flos virides genas :  
 54 quae nunc pruinias atque hiemem timet,  
 55 pleno superfundetur agro  
 56 flava seges, juvenilis aestas.  
 57 Non parva tantum se fruticatio  
 58 trudet ; sed ingens silva, frequentibus  
 59 fortasse ramis sparget umbram,  
 60 inferius resonante luco.  
 61 Numquam antevertit planta diem. Suas  
 62 Dodona sensim surrigit ilices :  
 63 immissa paulatim tenacem  
 64 mordet humum solidanda radix.  
 65 Et Barbarossis tempora destinat  
 66 Natura rerum fortiter interim  
 67 implume prorita labellum,  
 68 mite ferox, digitisque mulge.  
 69 Immane quantus mox caper effluet.  
 70 Tondenda crebrae cura novaculae  
 71 undabit : audacique vultu  
 72 tota soror, genetrixque cedent.  
 73 Ibis sonantis magna Panaetii  
 74 aequare fetas, ibis, et aemulum  
 75 canae vetustatis saligna  
 76 porticus excipiet Cleanthen.  
 77 Juvate Musae, quod video repens  
 78 monstrum, anne ludor ? Quam mea fertilis  
 79 testudo ! Si barbas vel incan-  
 80 tare potest vel inertior vis,  
 81 promique tardas elicere ex scrobe  
 82 flores, Ragusi : jam fatui micant  
 83 ignes pilorum ; bella jam lan-  
 84 nugo tepet, faciemque fuscata.

## AD BALTHASAREM MELONIUM

01\_21 v.1 Si quando mihi lubricus  
 2 inter verba, jocus melle madentia,  
 3 aut falsus lepor excidit ;  
 4 vae, quam terribilem simus agis caprum !  
 5 Quam morosus obambulas !  
 6 Flavent ictericis ora coloribus ;  
 7 frons nimbosa fugit retro,  
 8 et sparsum maculis sanguineis jubar  
 9 lugubres oculi rotant.  
 10 Sin pergam tribulos inserere, et piper,  
 11 toto corpore subsilis,  
 12 tabentique natas moestus in ulcere : et,  
 13 belli signa domestici,  
 14 limaces calidis naribus excoquis.  
 15 Atqui non ego te, Pepo,  
 16 admorsu tigridis frangere persequor.  
 17 Cur nasi cinis igneus  
 18 transfumat tacitis suspicionibus ?

19           Non, me si satis audias.  
 20   Crispari renues. Prostituis virum  
 21        imbelli querimonia,  
 22   sarcasmos clypeo pectoris excipe.  
 23        Verbo nil levius volat.  
 24   Cursu, ni retrahas, praeterit alite :  
 25        jactatumque per aera,  
 26   ventorum patriam cum Borea subit.

## AD TREBATIUM FEROLETTAM

01\_22 v.1   Quid vero prodest aureus in suis  
 2        humi cubantis naribus annulus ?  
 3        Utamur, utamur, Trebatii,  
 4        mente data ; Superumque munus.  
 5   Non foeda strati membra sub ilice, et  
 6   glandes avari frangere Chaonum ;  
 7        nec in volutabro vomentis  
 8        illecebras, olidaeque Circes,  
 9        exerceamus. Vescimur aethere,  
 10      et hospitalem particulam Dei  
 11        habemus, immensi capacem.  
 12      Illius, unde fuit sub ortum  
 13      defecta, gyros et jubar, illius  
 14      quaeramus orbes. Mira potentiae  
 15        figura mens in se reflexae,  
 16        praepetibus super astra pennis,  
 17        non poenitendo nititur impetu :  
 18        et circumactum numinis alveum  
 19        micante natura capessit,  
 20        sidereos imitata tractus.  
 21   Mens curiosas lucis imagines  
 22        venatur extra : quasque capit, sinu  
 23        complexa lustratque, et quieto  
 24        interius subigit sereno.  
 25   Hinc et colores, atque parentia  
 26        colore novit. Novit et hoc suum  
 27        novisse : et istud nosse, rursus  
 28        circuit, ac meminisse gaudet.  
 29   Curvum reductae spira scientiae  
 30        a fronte lumen spargit, et alterum  
 31        fulgoris expandit theatrum  
 32        terga tuens, graditurque retro.  
 33   Panthera qualis, cum catulos eques  
 34        abegit antro, se rotat obviam  
 35        vestigio praedonis et ve-  
 36        stigia per sua scit reverti.  
 37   Hic ille magni Cecropidum Sophi  
 38        Platonis ambit circulus omnia ;  
 39        sagacis exorrecta Jani.  
 40        Mensque biceps, animusque bifrons ;  
 41        incerta certis, atraque candidis  
 42        conferre sollers ; praeteriti memor.  
 43        Euntis actor, et futurum  
 44        praeripuisse dolosus aevum.

## AD ANSELMUS MASIUM

01\_23 v.1        Non, quod Mnestheia, et Antheum,  
 2                    Sergestumque, Lycumque, et validum Gyan.  
 3                    Et Sarpedona Dardanum,  
 4                    atque Anchisiaden ingeminet Maro :  
 5                    Butenque, et Bytiam, et Capyn,  
 6                    immanique trucem corpore Pandarum ;  
 7                    culmen Phocidos occupat :  
 8                    sed quod semideos, captaque Pergama  
 9                    aequarit parili tuba ;  
 10                  surgit Pieriae gloria Mantuae.  
 11                  non quae quisque canat, Masi,  
 12                  sed quo bella modo ducat ad exitum,  
 13                  refert. Sesquipedalia  
 14                  et nostro resonant nomina classico.  
 15                  Quantis litoribus fremunt  
 16                  audax Hypsiboas et Calaminthius !  
 17                  Vallum Pelobates luto  
 18                  munitus subitis obicit hostibus.  
 19                  Vastum Limnocharis lacum.  
 20                  Tristem ne metuant castra famem, meus  
 21                  In spicas Cereris ruens,  
 22                  toti Sitologus providet agmini.  
 23                  Si nox insidias struit,  
 24                  monstrabit tacitas Troglodytes vias  
 25                  subvertenda cuniculis,  
 26                  obstant sollicito moenia militi ?  
 27                  Montes Tyroglyphus cavat,  
 28                  metas Helvetiae rumpere fervidus.  
 29                  Quid prosint celeres doli,  
 30                  cui furtum noceat, quod spolium juvet ;  
 31                  discas ex Meridarpage :  
 32                  quo dux nobilior nec Steneleus fuit.  
 33                  A parvis animantibus  
 34                  magna exempla capi posse, Davidides  
 35                  olim de specula monet.  
 36                  Hinc formica pigros ducit ad horreum  
 37                  terrarum dominos, apum  
 38                  rex regnare docet. Civibus imperat  
 39                  nullo saevus aculeo.  
 40                  Ipsi tuta movet signa Quiritibus :  
 41                  et Cannense piaculum  
 42                  dissensu gemini consulis editum,  
 43                  Varronis rapidi memor,  
 44                  uno se duce, se consule, corrigit.  
 45                  Numquam tenuia spreveris.  
 46                  Num barris minor est musca Philostrati ?  
 47                  Cygno, Vergilii culex.  
 48                  Multum debet adhuc Lesbia passeri ?  
 49                  Quaedam noctua fert diem :  
 50                  nonnulli favet et Pallas Araneae.  
 51                  At tu Phoebe pater, pater  
 52                  quo tandem rapies ? Desine vilium  
 53                  bellorum stimulos, tui  
 54                  vatis magnanimo subdere pectori.

55 Da, si quid placeo, Phryges  
 56 dignos his animis, aut Agamemnona.

## AD PHILIPPUM ARAMANDAM

01\_24 v.1 Ergo revolves vasta volumina  
 2 Justitiani ? Sed placitam Themin  
 3 ducturus uxorem, cavebis,  
 4 ne pluvio violetur auro.  
 5 Majore cura, quam Danaen pater,  
 6 include sponsam turribus, intimo  
 7 nummatus illam quisque claustrō  
 8 forsitan elicit colonus.  
 9 Quicumque castum Jus violaverit  
 10 lenocinantis fraude pecuniae,  
 11 legum est adulter. Non et auri  
 12 esse velis, Aramanda magnes ;  
 13 ut te decebat, dum cecinit tuba,  
 14 traxisse ferrum. Propositi tenax,  
 15 urgebis indagare punctum,  
 16 quod reperit celebratus Ivo.  
 17 Non in crumena Caesarei latent  
 18 arcana juris dignius utili  
 19 praesens honestum, mentis arcem,  
 20 non loculos habitat rapaces.  
 21 Urunt videntem dona potentius ;  
 22 objecta primis nutibus amove.  
 23 Si miles in campo fuisti,  
 24 justitia gladio probabis.  
 25 Ut aere totum rus spolies, time  
 26 In longa litem ducere secula :  
 27 malumque quod praetore coram  
 28 una dies poterat levare,  
 29 exasperandum tradere mensibus.  
 30 Festina mulcet gratia. Si dolo  
 31 longas in ambages reductus,  
 32 mille fluas refluasque technis ;  
 33 nec Zasii, nec scrinia Bartholi  
 34 reum juvabunt : quaeque tumentibus  
 35 buccis. Ad horrorem citabis  
 36 sacra tui monumenta Baldi.  
 37 Amat forenses his Podalyrios :  
 38 qui, cum laborat vena calumniis,  
 39 sermone pertant, ut aegrum  
 40 Ausoniis medicentur herbis :  
 41 vidi eloquentem saepe Machaona,  
 42 prodesse causis jam capularibus :  
 43 phthisinque, jejunque febrim et  
 44 pauperiem pepulisse Codri.

ENTHUSIASMUS ANNO M DC XXXVIII.

01\_25 v.1 Evan ! quam feror in specum !  
 2 Audivit mea vota Aonidum Deus,

3        audivit : feror in specum  
 4        plenam fatidicis fluctibus. Euoe !  
 5        Toto nemine turgidus  
 6        incumbente tremo. Quod patior, novum est,  
 7        jucundusque dolor. Juvat  
 8        insanire, juvat cum Furiis novem,  
 9        et Musis tribus, Euoe.  
 10      Latonae soboles me mihi surpuit ;  
 11      immensum tamen in chaos  
 12      rapto, Fata Pater praescius indidit,  
 13      i pubes Alemannia,  
 14      i felix aciem sternere Balthicam,  
 15      eheu, tarda venis, subit  
 16      collectis potior Suecia viribus.  
 17      Quis Lunae residis procus,  
 18      Turcas Odrysiis finibus evocat ?  
 19      Hostis tendit in Austriam.  
 20      Cursum belligeri sistite Pannones,  
 21      vastantur Babylonii :  
 22      Thraces Susa premunt. Cur refluat Tagus,  
 23      aurum trudere debilis ?  
 24      Spumosos agitat Sequana vortices,  
 25      torrens ire superbior.  
 26      Et permista tubis arma minax vomit.  
 27      Jam Rheni trepidant aquae.  
 28      Victum, ni properes, dux cave Saxonem.  
 29      Martis vertitur alea.  
 30      Tu captus traheris visere Franciam.  
 31      At famosa quis Italus  
 32      villae preevehitur septa Theoniae !  
 33      Forti res geritur manu :  
 34      vindex Caesarei strenuus agminis,  
 35      mactatas super hostias,  
 36      infecit gladios sanguine Gallico,  
 37      trunci cum jugulis cadunt :  
 38      sectis sparsa jacent lilia crinibus,  
 39      messis densa cadaverum.  
 40      Donkerckana natat classis in aequore,  
 41      Hollandosque fugat, fugat.  
 42      At non Cattigenae prociduum mari  
 43      submisere genu, neque  
 44      despondent animos. Damna Britannico  
 45      compensant sua litore.  
 46      Vos Tartessiaci currite remiges,  
 47      dum clemens favet Aeolus.  
 48      Sed cur negligitur flebilis Alsata ?  
 49      Qui salvum cupis imperi  
 50      immotumque caput ; protege patria  
 51      Urbem in rupe sitam, fames  
 52      expugnat, sed et o tristibus Anglia  
 53      moerens fluctibus innatas !  
 54      Quo te corripiet Scotia turbine !  
 55      Belli, credite Teutones,  
 56      nullus finis adhuc, nam Catalaunia

## GAUDIUM BONAE MENTIS. CARMEN GENIALE, DECANATUM WARENBERGAE...

01\_26 v.1 Nullo notari crimine, nil sibi  
 2 conferre, diis est ante diem frui ;  
 3 potare totis plena ripis  
 4 Gaudia, non modica phaselο,  
 5 illum Syene torrida frigidis  
 6 obnubit umbris, et Meroe tegit  
 7 luco ; migraturumque vernus  
 8 trans Scythiam comitatur aer.  
 9 Frons laeta semper, puraque nubium  
 10 gratique risus, et decor, et sales  
 11 docto verecundi Falerno,  
 12 et facili lyra tracta nervo,  
 13 suadent amicum dicere Cynthium  
 14 seu fracta caeli porta tonent super  
 15 cervice, seu subsidat Orbis ;  
 16 stat tamen in media ruina.  
 17 Mandante Sulla qui subit innocens  
 18 curvi volantes aequoris insulas,  
 19 mutabit Aegaeum Lucrino,  
 20 jam patriae melioris hospes.  
 21 De pane furvo scinditur attagen.  
 22 Manant lutosis vina paludibus.  
 23 Civis sui sorbebit exul  
 24 Socraticas hilaris cicutas.

## AD ISIDORUM SCHMIRCKIUM

01\_27 v.1 Sexagesima jam Ceres  
 2 maturum capulo vidit et Aeaeo.  
 3 Autumnus toties novus.  
 4 Isidore, tuam fluxit in amphoram  
 5 nondum pulsa tamen sitis :  
 6 plus aetatis adhuc, plus cupis aeris.  
 7 Nec vitae satiat quies,  
 8 optantem vapido de senii cado,  
 9 heu, faecem bibere ultimam !  
 10 Centum annis inhies, ut doleas diu  
 11 quae te intemperies agit ?  
 12 Cerritus manifestum elleborum furis  
 13 et fastidia praeparas ?  
 14 Tanto supplicium longius extrahis.  
 15 Jam felicior aurea  
 16 Aetas terga dedit, quae super, hispidam  
 17 tormentis faciem gerit.  
 18 Restagnant oculi turpe manus tremunt  
 19 nasus Vergiliis madet :  
 20 et, quam dissecuit ruga, binominis  
 21 totum frons caput occupat.  
 22 Restat febris adhuc continuae gelu, et  
 23 talpis addita surditas.  
 24 Post grando, pluviae, nix, tonitru, vapor,  
 25 et quidquid miserabilis  
 26 limoso veniens e stomachi lacu  
 27 tempestas coquit imbrium

28 eheu, quae cerebri fulmina senties.

AD PAULUM WALTENHOFIUM NARCISSUM

01\_28 v.1 Mater venustas plena ferociae,  
 2 crinita flavi verticis annulis ;  
 3 suas honoratura dotes,  
 4 quam fragili male fidit aevo.  
 5 Dum floret, omnes despicit altior  
 6 quocumque morbo seque licentius  
 7 procatur, et vivo renidens  
 8 In speculo sibi nubit ipsi.  
 9 Sed stulta formae copia mutuae,  
 10 quid praeter umbras gignere mutuas  
 11 posset, quid Iphis ex Ianthe  
 12 nupta sua generavit olim  
 13 utcumque soli, Paulle, tibi places ;  
 14 amas amantem, non tamen alterum :  
 15 errore quam grato juventae ,  
 16 tam sterili, vacuoque laudis.  
 17 Proli creandae sint duo conjuges,  
 18 sexum requirit mas sibi disparem.  
 19 Ne pulcer eunuchus vocere ;  
 20 sidereum paritura Famam  
 21 ducenda virtus huic thalamo tuos  
 22 committe vultus hujus in aureis  
 23 optanda nascetur lacertis  
 24 Gloria et indubiam secutus  
 25 Honor sororem. Tunc adeo meo  
 26 dicere versu nobilis : et canam  
 27 fuisse tanti, non fuisse  
 28 degenerem, facieque turpem.  
 29 Virtutis expers forma quid impetras  
 30 qua spe superbit, post breve lilyum  
 31 perire, vel languere jussa ,  
 32 triste gravis spolium senectae.  
 33 Haec bruma vernalis, haec subigit rosas.  
 34 Ledaea certe Tyndaris angitur,  
 35 et moeret intricata rugis ;  
 36 bisque rapi potuisse secum  
 37 miratur, eheu ! Multa putans anus.  
 38 Famosa quondam, dum steterant genae,  
 39 et flamma venalis Corinthi.  
 40 Ingemuit nive sparsa Lais.

AD JULIUM THAMESIUM

01\_29 v.1 Oscines sectos, Thamesine, laudas,  
 2 colla torquatos, oleo nitentes  
 3 guttur ac vocem ; numerosque stricta  
 4 concipis aure  
 5 utque te credam minus imperitum  
 6 judicem, juras nihil evitatis  
 7 dulcius cygnis, etiam Caystri

8                   reddere ripas.  
 9   Non ego mollis cathedrae patronus.  
 10   Viva naturae placet, et virilis  
 11   vox mihi non quae Phrygis usta ferro,  
 12       fractaque tinnit,  
 13   illa, seu nostras imitata chordas  
 14   seu tuam, sollers Philomela Musam ,  
 15   implicet questus, et amoena flens su-  
 16       spiria libret ;  
 17   praefero verae gemitum columbae.  
 18   Oris imberbes citharas, et emptum  
 19   carmen argento teneri spadonis  
 20       mollius odi.

## AD CANUM VIRNIAM

01\_30   v.1       Tu plaudis tibi, Virnia,  
 2           arcano taciti pectoris in sinu :  
 3           introrsumque reconderis,  
 4           et gaudes habitare in cochleae modum.  
 5           Sermo, quem timide jacis ,  
 6           secretum redolet triste cuniculi,  
 7           talparumque cubilia.  
 8           Fors dici cupies alter Orangius,  
 9           stradae portio nobilis,  
 10          namque illum penitus sepositam ferunt  
 11          mentem, telaque consilii  
 12          celavisse decem cratibus abdita.  
 13           Vasto navis in aequore  
 14          persulcantis aquas, et volucrum via,  
 15           reptatumque jugis iter  
 16          deprendi poterat certius anguum  
 17           Nili et Nassavii caput,  
 18          ejusdem populis impenetrabile,  
 19           credebatur originis.  
 20          Haerebant latebris verba tegentibus ;  
 21           et, ceu Phidiaca manu  
 22          cordi insculpta forent, praeter Orangium  
 23           nemo gutture moverat.  
 24          Virtus haec nimia est, et vitium prope.  
 25           Malis in medio situs  
 26          dispensare tuum, Cane, silentium :  
 27           ut nunquam muliebriter  
 28          pertuso liquidus currere dolio ;  
 29           sic nec pectoris aenei  
 30          custodire tenax omnia moenibus.  
 31           Nullam mens bona januam,  
 32          nullum limen habet, publica regibus  
 33           spectari metuat nihil :  
 34          audax in medio stare satellitum.

## AD NICOLAUM FERONIUM

01\_31   v.1       Bacchus probetur vitreus inspici :

2 non tu, Feroni, provida nobili  
 3 Natura non frustra negavit  
 4 perspicuas animo fenestras,  
 5 velanda quaedam nube silentii,  
 6 intra Senatum, putria, fervido  
 7 secura sunt sub dente verba  
 8 lubrica, destituunt loquentes,  
 9 miscere sermonem, est popularia  
 10 miscere telis praelia tinnulis.  
 11 Periculorum crede saevi  
 12 alloquium genus esse belli.  
 13 Ne garrientem spicula sacient,  
 14 canat subinde et lingua receptui.  
 15 Fors mille fraudes in reductis  
 16 Hannibal insidiis locavit.  
 17 Sit praeses oris Sigalion tui.  
 18 Cavebis illud dicere : sub rosa.  
 19 Quod ipse neququam silebas,  
 20 scilicet id tacitus alter !  
 21 Non et quibusvis auribus Arcadum,  
 22 secreta pandes taedia pectoris  
 23 Claudi sepulcrum, vincit omnes  
 24 turis opes, violaeque odorem :  
 25 humata sub quo probra, calumniae,  
 26 injuriaeque, et dedecus ultimum,  
 27 Iraeque, vindictaeque foetent  
 28 Funera, et invidiae cadaver.

## AD ARISIUM MOSCHUM

01\_32 v.1 Hunc senem dices, Arisi, beatum :  
 2 caua non cuius numeratur aetas,  
 3 sed velut conchae lapis aestimatur,  
 4 rarus Iaspis.  
 5 Integras parvus lapis iste rupes,  
 6 plurimas unus, pretiosa vincit  
 7 gemma, nam dotes breviore gyro  
 8 contrahit omnes.  
 9 Sic dies vitae sapientis una,  
 10 mille stultorum superabit annos :  
 11 sic anum prudens fatuam puella,  
 12 uva labruscam,  
 13 esse multorum est, et habere corpus :  
 14 vivere ad paucos venit hujus usum,  
 15 Sola mens caeco scelerum tumultu  
 16 libera praestat.

## AD ANDREAM BRUNNERUM S. J.

01\_33 v.1 Jephten dатuro spiritus incidit,  
 2 urgere scenam flebilibus modis.  
 3 Brunnere ; qualem nostra suadens  
 4 tempora, deteriora priscis.  
 5 Olim in theatrum sex modios salis

6 Terentiani sparsimus ; et molam  
 7 versare cum Plauto coacti,  
 8 movimus in podio cachinnos.  
 9 Spleni litatum jam satis. Ilia  
 10 laboret alter rumpere comicus  
 11 major tragoedum cura, major  
 12 ordo movet. Juvat esse tristem,  
 13 insana (nam quid dissimulo) juvant  
 14 lamenta, totum Corduba me suo  
 15 pervasit Annaeo : nec Umber  
 16 jam placet, aut Thymele faceta  
 17 non est voluptas nulla, dolentium  
 18 audire questus huc, Puer, ocius  
 19 affer cothurnum, deme soccos,  
 20 funde merum, speculumque Othonis  
 21 majus corusca : quod varias mihi  
 22 antiquitatis vibret imagines ;  
 23 rerumque et aspectus locorum  
 24 Luminis obiciat repulsu.  
 25 Hic Maspha circum palmiferum caput  
 26 inter comatas erigat arbores :  
 27 hic molle vitrum trudat Arnon,  
 28 mox fluvius lacrimis rigandus.  
 29 Proh quantus irae turget, et in minas  
 30 despumat Ammon ! Praelia matribus  
 31 ploranda funestat rapinis.  
 32 Tunc pavidis, meus ille Jephthe,  
 33 quaeretur exsul civibus in ducem,  
 34 quamvis rogatus tardior annuat.  
 35 Pugnatur. Insignem triumphum  
 36 Isaciae meruere dextrae.  
 37 Bene ominato sternitur impetu  
 38 calcatus hostis, quam dubios natas  
 39 Victor per eventus ! Honesto  
 40 profuerat tibi Marte vinci.  
 41 Ah ! In reversi, filia, filia,  
 42 fatale patris laberis obvia  
 43 fatale votum ! Cur repente  
 44 castra fremunt ululata luctu ?  
 45 Vertuntur hastae : nulla sonat tuba ?  
 46 Stat muta belli gloria, laureae  
 47 feralis inserpsit cupressus.  
 48 Dira tibi stimulos cupido  
 49 foras iturae, Jephthias, addidit,  
 50 O nuptiales interea domi,  
 51 futura nevisses in auro,  
 52 O utinam tibi, sponsa, vestes !  
 53 I Virgo frustra nubilis. I dolor  
 54 parentis orbi : cumque sodalibus  
 55 erra per Hermonis virentem,  
 56 exsequias praeitura, lucum.  
 57 Cum bis in orbem Luna recreverit :  
 58 redux ad aram victima, patrium.  
 59 Ensem cruentabis, sed istud  
 60 lege rata peragetur intus :  
 61 ne Syrma risus flebile polluat  
 62 error nocenti tristitiam joco.  
 63 Flaccus lucernas, et dolosa

64 sanguinei simulacra colli,  
 65 Fictosque gestus, et caput illitum  
 66 odisse fertur, rustica displicet  
 67      imago pompa ; sumptuosa  
 68      pauperis ingenii supplex.  
 69 Crudelis intus te feriet Pater  
 70 crudelis autem ? Quin potius Deo  
 71      instinctus auctore, et jubenti  
 72      grande reus soluisse votum.  
 73 Ingens in aevum, filia, mitteris.  
 74 Tu nascituro, nobilis hostia,  
 75      dicere praelusisse Christo ;  
 76      sorte tui pretiosa Fati.  
 77 Haec acta coram qui referant, erunt  
 78 at non puellis serta ferentibus  
 79      prodire morosus negarim.  
 80 Dulce decus cumulare vadant  
 81 florum coronis pars jaciant crocum :  
 82 pars e quasillis expediant rosas  
 83      ploratur, aeternamque famae  
 84      materiem parit ipse Lessus  
 85 heu ! Nulla linquis pignora, Jephthias.  
 86 Praerepta caelebs ! Heu sterilis cadis,  
 87      omnes Galadinis per annos  
 88      virginibus lacrimanda Virgo.  
 89 Sed jam decoro cerno madentium  
 90 submissa fletu lumina dejici :  
 91      Maerore spectator liquescit  
 92 multa putans, animosque miscet.

## AD MACIEM

01\_34 v.1 Soror Galeni vivida sanitas  
 2 tibi dicati corporis, huc ades :  
 3      huc Gratiarum quarta, divis  
 4      juncta tribus, Macies, sonoros  
 5 molire passus. Ostia pandimus  
 6 dilecta priscis vatibus, ac Deo  
 7      spirante, facundoque plena.  
 8 Flecte, meum subitura limen,  
 9 huc flecte currus, nil vetitum tuis  
 10 videbis usquam legibus omnia  
 11      ex arte respondent magistrae,  
 12 molle nihil, tenerumve tactu :  
 13 non nidor ex abdomine, non adeps  
 14 cubilis ullo fumat in angulo.  
 15 Consurgit ex tofis ab imo,  
 16 Inque cavum sinuatur arcum  
 17 ingressus antri, caetera pumice  
 18 ornantur albo cardinibus crepat  
 19      abiegnā mortis porta : passim  
 20 talus jacet ; solidumque saxum est  
 21 pulvinar ingens. Querna, vel ossea,  
 22 vel nulla sedes. Ipse ego corneus,  
 23      et paene tralucens, futuri  
 24 anticipo cinerem sepulcri.

25 Praelargus umbrae. Non ego nescio,  
 26 a te probari tale palatum.  
 27 Invise jam carmen subactis  
 28 disposui geniale chordis.  
 29 Ne terrearis turbine cimicum,  
 30 In me ruentum lege ferociae.  
 31 Mordere si possunt, acutos  
 32 et poterunt hebetare dentes.  
 33 Intra : quid haeres ? Tu Polyhymnia,  
 34 Tu dulcis olim Terpsichore mihi :  
 35 nunc major ipsamet Minerva, et  
 36 delicium gracilis poetae.

## AD PAULUM RIVERNAM

01\_35 v.1 Paulle, ne fallas animi dolorem :  
 2 vince si totum caput irruenti  
 3 offeras, nec te maculosa signet  
 4 lacrima vinces.  
 5 Fallitur tantum gemitu paternus  
 6 Maeror inclusu, minuque fingit :  
 7 interim pelli negat, et medullas  
 8 obsidet imas.  
 9 Mater, amisso velut orba foetu  
 10 Tigris obstantes furit ire contra,  
 11 Mater iratis metuenda funus  
 12 imputet astris :  
 13 dumque plorantes oculos resolvit,  
 14 ac supra ripas sinit evagari ;  
 15 vana leniri putet, et tepentem  
 16 cedere luctum.  
 17 Tu pater, tu vir, meliorque conjux,  
 18 nec nihil nostris madefactus undis,  
 19 majus in mortem, subitosque casus  
 20 robur habeto.  
 21 Si vel abjectum genus, atque sexu  
 22 molle solarer, vel ineruditum ;  
 23 tecta plebeio quoque mitigarem  
 24 vulnera panno.  
 25 Diluit fletus mala, non trucidat.  
 26 Strenuis quondam generosa cincte  
 27 corda praeceptis, age, Paulle, toto  
 28 mergere Fato.  
 29 Umbra ne turbet redditura somnum,  
 30 incuba Stoae, placidumque dormi.  
 31 Qualis Alcides latus audet accli-  
 32 nare leoni.  
 33 Haec vigil tecum : quid enim mearum,  
 34 caelites, rerum stomachatus umquam  
 35 subtraho vobis ? Patet omnis arca :  
 36 insuper ipse.  
 37 Vestra sunt, quae nunc mea dico, vestra :  
 38 venit a vobis soboles, et uxor.  
 39 Dos, opes, fundi, focus, ara, vestrum  
 40 omnia munus  
 41 utimur, sed si data, qui dederunt.

42 Unico reddi voluere nutu ;  
 43 antequam cogat rigidus satelles,  
 44 reddimus ultro  
 45 lex diem cunctis statuit supremum.  
 46 Ergo mortalem genitum sciebam.  
 47 Ergo me proles mea non fefellit,  
 48 fida parenti,  
 49 quo sub occasum fluet omnis aetas,  
 50 more torrentis rapidi praeivit.  
 51 Per tuos Manes tumulumque, Fili,  
 52 sponte sequemur.  
 53 Qui mori non vult moriente mundo,  
 54 stultus, aut vitae nimis est avarus.  
 55 Hanc, Deus, testem tibi me resigno  
 56 nudus ad aram  
 57 tolle, vel dona : refer, aut omitte :  
 58 qui nihil contra meditetur, adsum.  
 59 Damna seu justum pariter capaci  
 60 annue lucrum :  
 61 lancis in partes utriusque vergo.  
 62 Vis, ut heredem generis relinquam ?  
 63 Opto, si mavis, cariturus omni, et  
 64 fortiter orbus.  
 65 Talis audiri solitus, Riverna,  
 66 Fata terrebis, dolor involucrum  
 67 rumpet, et tristes inimica vertent  
 68 agmina curae.  
 69 Ipsa, quantumvis levis, erubescet  
 70 torva Fortunae facies sinistrae :  
 71 teque migrabit quatiens relictæ  
 72 limina portæ  
 73 mene contemptam ! genuitne leti  
 74 pressus aerumnis, oculumve flexit  
 75 cedo, quid surdis Sipylum flagellis  
 76 verbero saxum.

#### AUCTORIS MELANCHOLIA.

01\_36 v.1 Horatianam da citharam, Puer,  
 2 unco refixam parietis, alteram  
 3 vocalis argenti : nec illam,  
 4 munus arundineum Menalcae.  
 5 Relinque buxum, quam propior modo,  
 6 Boeote, tangis, diripe postibus.  
 7 Nescis tot exploratus annis  
 8 quas lacrimans , animique maestus  
 9 amnem Camoena ! Tum foribus quoque  
 10 clausis memento ducere pessulum.  
 11 Nolis apertum, me gemente  
 12 tristia, vestibulum patere.  
 13 Lessum dolori molior. Urbs nisi  
 14 custodiatur praesidio Dei ;  
 15 vallumque, turritaeque frustra  
 16 excubiae statuentur urbis.  
 17 Ergo Brisacum, Teutonici Jovis  
 18 Tarpeia Rupes, decidit in manus

19           Brenni ! Puer, quis fila solvit,  
 20        et numeros male feriato  
 21        turbavit ungui ? Nil sibi consonat  
 22        Fides reducat natus ad Aufidum.  
 23        Me taedet insani laboris,  
 24        fer cyathum et citharam repone.

## AD GERMANOS

01\_37   v.1   Audemus armis quaerere perdita ?  
 2        Non ille certe, qui prope dolium,  
 3           spumantis ad fumum lagenae,  
 4           et patriam sedet unctus offam :  
 5        haud admovendus, dum sibi canthari  
 6        pernaeque constant ; et Cereris vitrum  
 7           insigne nodis, et capacis  
 8           struma scyphi nova vina fundit.  
 9        Haec bella passim cerno madentibus  
 10      pugnata mensis. Bella sed, heu ! nimis  
 11        pudenda, nec multum Gothunno,  
 12        aut Geticis nocitura Verpis.  
 13        Ni verioris militiae seges  
 14        In tela crescat : qualia novimus  
 15           vibrasse Marsos, et valentem  
 16           sistere Pulidamanta currus :  
 17        aut quanta noster torserat a Nigro  
 18        qui Monte nomen fulmineum tulit  
 19           Priscique Schweppermannus aevi  
 20        bis gemino satiandus ovo.  
 21        Heu ! surge tandem, pejor avis nepos  
 22        vides, ut Istrum barbarus inquiet ;  
 23           ut cuncta subvertant Alani :  
 24           et solidi nihil ensis audes !  
 25        Insurge in hastas. Non acupenserem,  
 26        mappisque fusos hostis apros, neque  
 27           crateras, imbellemque thyrum,  
 28           aut vitrei timet arma Martis.

## AD AQUILAM ROMANI

01\_38   v.1   Surge, Romani Jovis et trisulci  
 2        fulminis custos, aviumque Caesar :  
 3        praeliaturas acies minatur  
 4           ala rebellis  
 5        vulturi Sueco sociant frequentes  
 6        signa bubones, acuuntque rostra.  
 7        Totus hostili legione circum  
 8           texitur aether.  
 9        Stringe jam notos, neque differ unguis,  
 10      arma concussa sonuere nube.  
 11        Sistit in caelo veterem tibi Phar-  
 12           salia campum.  
 13        Pelle Finlandos, age, pelle corvos.  
 14        Ora Stympali vacuetur Hunnis :

15        milviis ningat, lacerisque Lappis  
 16                fluctuet aer,  
 17        Victor optantem redeas Viennam,  
 18                alitum sacra comitante turma.  
 19        Impleat Mavors spolis volantum  
 20                castra Quiritum.

## TRES HEROES

01\_39    v.1        Exempla verbis praefero scindite,  
 2                obscura somni scindite nubila,  
 3                umbrae triumphales, et armis  
 4                Elysiam reserata noctem.  
 5        Desueta pridem pectora Teutonum,  
 6                formidolosos tundere Bistonas  
 7                exsuscitaturi, sepulcris  
 8                (si Superi statuere) vestris  
 9                prodite Manes. Rumpite vincula  
 10          fatique leges tu prior omnium,  
 11                regnator Epiri, Molossis,  
 12                et Macetum celebrate genti.  
 13          Qualis ruebas in Geticos canes !  
 14          Minore velox semifer impetu,  
 15                e monte decurrens paventes  
 16                Labdacidas agitavit orno.  
 17          Hic ille bellis clarus Achaicis  
 18          est Castriotus. Si cujus acinacem  
 19                contempsit hostis : sed tremendam  
 20                saepe manum, validique sensit  
 21                pondus lacerti cum medios fremens  
 22                globos secando, dux equitem simul  
 23                equumque, confertos in unum,  
 24                divideret penetrante summa  
 25                et ima ferro sessor, et unico  
 26                infessus ictu sordida quadrupes  
 27                crux porrecti per arva,  
 28                continuum subiere letum.  
 29          Suismet idem moenia moenibus,  
 30                portisque portas fregit aheneas :  
 31                et saxa praemunita saxis  
 32                obruit, Haemoniasque late  
 33                vastavit urbes. At patrios Lares  
 34                quantus tueri ! Thrax acie ferox  
 35                aequante flaventes arenas,  
 36                quot Libycis jacuere campis ;  
 37                parvam (pudendum) non numerabilis  
 38                Croiam premebat, jam laceris famem  
 39                muris, et obsesso pavorem  
 40                intulerat mala Fama civi.  
 41          Accessit astus, frausque periculum  
 42                motura donis, illecebrae volant  
 43                ad summa vallorum et doloso  
 44                Ingenium leve ludit auro.  
 45                Sed expeditus cuncta Georgius  
 46                perrupit armis, arma ferocior  
 47                deliberata morte, miles,

48       arma para ; freme, miles arma.  
 49       Praecedo vel sic. Haec ubi gloriae  
 50       Severus emptor ; vendere laudibus  
 51       vitam paratus pandit arcem ;  
 52       perque Getas, piceamque nubem,  
 53       et feta caeco Marte tonitura,  
 54       fusumque aheno sulphur, et ignei  
 55       torrentis horrendos fragores  
 56       reliquis comiatus exit,  
 57       damno minantum. Sic Libycus Leo,  
 58       quem dormientem saltibus aviis  
 59       clausere pastorum catervae ;  
 60       prima fames ubi suscitavit,  
 61       miratur, et quamquam undique ferreas  
 62       sepes tuetur, turbidus emicat :  
 63       viaque facta frangit Afri  
 64       oppositas animosus hastas.  
 65       Quos ille pugnax disicit obices  
 66       in portuosa se super agmina  
 67       effudit in morem procellae :  
 68       quaes decimo revoluta fluctu,  
 69       immugit astris, fertur ad ultimum  
 70       urgente tristes milite ferias,  
 71       demens Amurathes superbum  
 72       dentibus instrepuisse, coram  
 73       bassis, ab ira collacrimantibus :  
 74       fissique labris, et digitis sibi  
 75       cessisse praemorsis ; dolore  
 76       Inque fugam rabiemque verso,  
 77       tantum supremis icta periculis  
 78       Virtus, honestum dum petit exitum,  
 79       pulcherque desperantis ardor  
 80       cordis habet, stimulique acuti.  
 81       Unam duello fortior altera  
 82       necessitatem saepe necessitas  
 83       absorbet : et probrum timenti,  
 84       difficile est metuisse Letum.

HEROS bis. JOANNES AUSTRIACUS IMPERATOREM CELEBERRIMUS.

01\_40 v.1       At non marinis Austriacum tubis  
 2       late sonandum terruerant Getae ;  
 3       quamvis aduncis plena rostris  
 4       silva, sagittiferumque pontus  
 5       vectaret hostem. Christiadum phalanx,  
 6       Io triumphhe, sparsit Echinadas  
 7       tabo Gelonorum : caduca  
 8       sanguineus rotat arma vortex.  
 9       Circumsonantes vix maris alea  
 10       tentata naves miscuit, ac viros :  
 11       Cum barbarorum vis repressa,  
 12       et domiti cecidere fastus.  
 13       Accensa virtus nec numerum timet.  
 14       Multo tremendus remige Concanus  
 15       fugatur a paucis, et horret  
 16       aequorea fluitare valle.

17 Quis, Luna fractis livida cornibus,  
 18 sub nube moesta tunc animus fuit,  
 19     classem pharetratam videnti,  
 20     ad gelidum properare stagnum  
 21     tetri Charontis : jamque aliis regi  
 22     velis, et aura non simili ! Senex  
 23         instat, per obscuramque Lethen  
 24         frustra vehit redditura numquam.  
 25     Ac si veneno Thessaliae nurus  
 26     te polluissent ; diceris indiga  
 27         pelvis canorum tinnientis,  
 28         funereo rubuisse rhombo.  
 29     Cum molle Nereus interea fretum  
 30     enaviganti sterneret Austrio :  
 31         summoque donatum tridente  
 32         obvius exciperet quadriga.  
 33     Hoc Baetis, hoc et masculus Adria  
 34     Tybrisque novit : qui viridi sedens  
 35         tapete riparum, hinc Iberos,  
 36         hinc venetum cecinit Leonem.  
 37     Tunc Roma septem subsiliens jugis,  
 38     pictusque rubris membra coralliis  
 39         Triton, jocosu per fluenta  
 40         aere strepens Aniena lusit :  
 41     Tuscaeque conchis versicoloribus,  
 42     plausere Nymphae. Tunc Zephyri pates  
 43         Eurique festivoque currus  
 44         Hippotadis sonuere nimbo.

## HEROS ter. JOANNES HUNNIADES

01\_41 v.1 Et tu ferocem, Pannoniae decus,  
 2     vultum sub auras, Hunniades, refer,  
 3         quo stante vivo, tuta numquam  
 4         Odrysii stetit aula regis.  
 5     Regnare toto creditur aethere  
 6         per sola notus fulmina Juppiter :  
 7         sed te Musurmanni sciebant  
 8         vivere funeribus suorum  
 9         expergefacti. Te capulo tenus  
 10         fixis superstans hostibus, alterum  
 11         Jovem probasti : tam profundo  
 12         corda metu glaciantे Thracum  
 13         ut et fugaces exanimaverit  
 14         incussus imis visceribus pavor ;  
 15         et mater infanti molesto  
 16         Turca tuum minitata nomen ;  
 17         terrore fletum provida sisteret.  
 18     Qualis Cometes, sanguineum genus !  
 19         Si forte stellarum coorta  
 20         seditione, tumultuosum  
 21         invasit axem ; territat omnia  
 22         late minaci fronte Palatia :  
 23         magis tyrannos o salutis  
 24         Stella, tuo memoranda civi,  
 25         ortuque felix, Hunniades, jubar !

26 O triste Turcis omen et ignei  
 27 fatale salve Martis astrum !  
 28 Quod toties Othomannus omni  
 29 horrere visus vertice Bospori,  
 30 sese cavernis turpibus abdidit  
 31 pallens ; ut exsternatus anguis  
 32 Cum subitae tonuere nubes.  
 33 Ille, ille caudae multiplicis Draco,  
 34 quod jactitabat , sed capitis Draco  
 35 unius ; illisis cerebri  
 36 procubuit super arma nervis.  
 37 Qualem trisulca terrigenam juba  
 38 laetum, et Pelasgos mille volumina,  
 39 spirasque, per saltus trahentem,  
 40 explicuit Capanea pinus.  
 41 Isto, Quirites, se probet aemula  
 42 ductore virtus : et gladios, velut  
 43 ad enovaturam retusos  
 44 exacuat rediviva cotem.

## AD WILLIBALDUM EHRENMANNUM

01\_42 v.1 Est et hoc nomen, Wilibalde tanti.  
 2 Me suum Virgo jubet esse vatem :  
 3 Virgo cantanti Galilaea molles  
 4 applicat aureis.  
 5 Illa versuro litoos in hostem,  
 6 mitte sectari modo castra pixit.  
 7 Strage deformes alio loveris  
 8 tempore pugnas.  
 9 Nunc tamen mitis, nihil inquieto  
 10 debeas Marti. Sit oliva lauto  
 11 nexa non cornus. Volucres capillis  
 12 detrahe cristas.  
 13 Sin et in praesens, animum furentem  
 14 tanta bellorum stimulat cupido ;  
 15 nostra permistis quoque fixa signis  
 16 adde tropaea.  
 17 Noster es, nostris agitande flammis,  
 18 nos canes primum, celebris sequetur  
 19 tillias, magnam meditata famam,  
 20 arma virumque.  
 21 Jam fluant sacri fidibus calores.  
 22 Ipsa te chordas quatiente, blandum  
 23 inferam numen numerosque dulci  
 24 arte juvabo.  
 25 Haec ubi : gratum jaculata lumen.  
 26 Astitit coram ; simul evoluta  
 27 nube, crinales radios ab omni  
 28 parte retexit.  
 29 Utque ferratam manibus tenentem  
 30 repperit pennam, gladiique acumen,  
 31 et tubae cornu, galeamque et hastam ex-  
 32 cussit in auras.

## AD DIVAM VIRGINEM

01\_43 v.1            Quem, Regina, tuo semel  
               2 afflaris Zephyro, non aliis velit  
               3        ventis ille vehi super  
               4 undas pegasei fontis, ubi sacram  
               5        venae laetitiam bibat,  
               6 et facunda redux carmina temperet.  
               7        Nec, cum pieriam chelyn  
               8 arguto fidicen pollice moverit ;  
               9        formosam Lalagen canet,  
 10        vultumque ac nivea colla Lycymniae,  
 11        aut nigras Glycerae comas :  
 12        sed dotes potius, Virgo, tua lyra  
 13        emirabitur aurea.  
 14        Et nunc, sive caput sole serenius ;  
 15        seu lunae timidum jubar  
 16        subjectae pedibus dicet, et igneas  
 17        zonae sidereae rosas  
 18        nunc ut virgineo castus et integer  
 19        partu detumui sinus  
 20        Martis non solitae nomen et oscula  
 21        laetis humidi lacrimis,  
 22        vagitumque Dei : tum liquidum melos  
 23        caeli et non rude gaudium.  
 24        Nunc formam pueri : sive nitentibus  
 25        gemmantes oculis faces,  
 26        infusumque diem crinibus, ac genas.  
 27        Mali fragmina punici,  
 28        et costi madidos unguine dactylos.  
 29        Seu quae plurima ferior  
 30        aetas bis geniti numinis edidit ;  
 31        narrabit fide Teia  
 32        vates partheniam vectus in insulam.  
 33        O ergo facilis veni,  
 34        nec te, Diva, tuis subtrahe laudibus ;  
 35        quas si dura mihi neges ;  
 36        non opto lyricis vatibus inseri.

## CELEUMA MARIANUM SIVE LAUDES DIVAE VIRGINIS

02\_1 v.1        Regina : nam quo nomine te vocem ?  
               2 Cui mille naves laudibus asperae,  
               3        honoris in portu quiescunt :  
               4        mille novae subiere pontum.  
               5 Trans claustra Chinarum, et Japones feros,  
               6 encomiorum non popularium  
               7        Gazam relaturaे superbam.  
               8 Omne fretum tibi, Diva, servit  
               9 Remisque velisque et super aethera  
 10        late refuso gurgite gloriae :  
 11        qua sol supinos, quaque pronos  
 12        tollit equos abeunte curru.  
 13        At illa navis, quae Galileidos  
 14        inscripta sacro nomine Virginis,

15 favoris aspirante vento,  
 16 Oceanum penetravit immensum :  
 17 o quas profundo fertur ab aequore  
 18 reversa merces, quos cumulos opum  
 19 In Nazarenos, unde primum  
 20 solverat, evoluisse portus !  
 21 Electa sicci cinnama corticis,  
 22 Myrrhamque et ingens pondus aromatum  
 23 crocumque, nardumque et fragranti  
 24 balsama deproperata rivo.  
 25 Non tale quidquam protulit India ;  
 26 non ex Sabaea decidit arbore :  
 27 nil tale Medorumque messis,  
 28 aut Cilices oluere nimbi.  
 29 Sed et genistis pendula Punicis,  
 30 ardore miro mala rubentia,  
 31 ne pressa marcerent, in ostro  
 32 virgineae jacuere prorae.  
 33 Cedros comantes e Libani jugo,  
 34 et propter amnem tot platanos sitas ;  
 35 summoque divulsas Sionis  
 36 Monte quis enumeret cupressus ?  
 37 Divina totis litoribus Ceres,  
 38 plenae per oras sparsa crepidinis,  
 39 surgebat in grandes acervos.  
 40 Non aliquo minuenda dempto.  
 41 Fluxere conchis vina capacibus,  
 42 peculiaris vina notae, botro  
 43 expressa Cyperi : qui Calaenae  
 44 chrysolithos superabat uvae.  
 45 Post quantus auri fulgor et ignium  
 46 dives marinorum irrubuit sinus !  
 47 Advecta cum gemmis eburni  
 48 Copia quam pretiosa dentis,  
 49 In regis aulam sectilis, et torum !  
 50 Collata tecum se Salomonia  
 51 classis fatetur, Diva, vinci.  
 52 Quas variis opulenta ripis  
 53 Natura sparsit, colligis omnium  
 54 complexa dotes. Totus in unicam  
 55 defluxit aether, parva, pulchri  
 56 est facies, quoque magna Mundi.

## MILO CROTONIATES SENEX. HUMANAЕ IMBECILLITATIS MONITOR.

02\_2 v.1 Quisquis aetati juvenile fidis,  
 2 et tuos jactas temere lacertos ;  
 3 robur exemplo tenuare cani  
 4 disce Milonis.  
 5 Qui bovem pugno violentus olim  
 6 cernuum vulgo metuente stravi,  
 7 ipse me mirans penitus solutis  
 8 langueo nervis.  
 9 Nempe tunc nullam tenui securim  
 10 nudus armorum. Manus ipsa ferrum,  
 11 ipse ferratus fueram, nec ullo

12               ligneus ictu,  
 13               dexterae suppar humerisque totum  
 14               venter absumpsit, mea bella, taurum :  
 15               Indus occisum Phaethon, sepultum  
 16               vidit Hiberus.  
 17               Nunc ubi vires, ubi tantus ille  
 18               frater Antaei ? Pudet esse notum.  
 19               Publicae quid jam cumulata prosunt  
 20               munera luctae ?  
 21               Strage famosus rapida leonum,  
 22               jam lupos vito pudor heu ! Senectae  
 23               terret assuetum vacuare silvas  
 24               obvia vulpes.  
 25               Saepe dimensum virides ad annos  
 26               corpus expendo, nec in hoc Milonem.  
 27               Cerno quae situm : mihi saepe multa  
 28               mentior ipsi.  
 29               Forsan a memet tacite recessi.  
 30               Credar immotis pedibus stetisse,  
 31               vir manu pressa retinens inexpu-  
 32               gnabile pomum.  
 33               Erro figmentis, dubiaque vulgi  
 34               laude deceptus : neque me juvenco  
 35               ulla luctantem maculisve pardi  
 36               sparsit arena.  
 37               Quid rosas semper querimur fugaces ?  
 38               Quercus in nigro sua fata luco  
 39               sentit, et tandem ruitura toto  
 40               vertice nutat.  
 41               Fortis est, qui se negat esse fortem :  
 42               aut suas certe meliore vires.  
 43               Lege dispensat propere sequentes  
 44               cautus in annos.

## PAEANBOICUS AB AUCTORE CANTATUS

02\_3      v.1      Haec illa lux est, quae pepulit metum,  
 2               et atra belli nubila candidis  
 3               discussit astris : cum sub uno  
 4               imperii Latialis ictu  
 5               Fortuna staret. Torva Bohemia,  
 6               Albi minaces concutiens jubas  
 7               leonis, in Flavum ruebat,  
 8               sanguineo metuenda rictu.  
 9               Qua belluosi Stella cubilia  
 10               praesignat Horti, verius imminens  
 11               Pragae Cometes ; dira motis  
 12               signa tubae cecinere castris.  
 13               Clivo rebellis miles in edito,  
 14               in valle noster. Quanquam adeo palus  
 15               tardabat, uligoque putri  
 16               crassa lacu, mediique pontis  
 17               obex : morantem transiliit pedes.  
 18               Hac est eundem, dux prior increpat,  
 19               adversa sustollens in hostem  
 20               Maximus Aemilianus arma ;

21        tum vero crebris icta tonitruis  
 22        mugire tellus : fulminei Joves  
 23        stridente torqueri metallo.  
 24        Vox gemitus, ululatus, irae  
 25        miscentur una. Sic geminus ruit  
 26        torrens ab Haemo, quisque suam rapax  
 27        spumare brumam : donec alter  
 28        per scopulos, per et arva vincto.  
 29        Cursu feratur jam sua libero.  
 30        Mars tela telis, et manibus manus,  
 31        et scuta scutis mistus aequat.  
 32        In galeas aliena surgunt,  
 33        caduntque cristae cornua proximae.  
 34        Proh quantus ensem stringit in agmine  
 35        Bucquoius ; et quamvis laboret  
 36        vulneribus, fodit ora ferro !  
 37        Immane nixus quot cuneos secat,  
 38        supraque toto vertice Tillius  
 39        intorquet hastas ! Non tot haedi  
 40        Caurus agit pluvialis imbrues.  
 41        Jamque omne bellum nomine perdito  
 42        fit vera strages : tantus amor necis  
 43        stat miles in rupem, et minanti  
 44        terga negat, faciemque praebet.  
 45        Nudata Letum scandit ephippia,  
 46        passimque nudat. Caesa cadunt velut  
 47        armenta ; neglectisque Parcis  
 48        tres Furiae secuere fila.  
 49        Io ! dehiscunt undique copiae,  
 50        et turpe mordent degeneres solum.  
 51        Sublimis ad Bojos volat vic-  
 52        toria, pulvereamque pennis  
 53        inscribit auram. Quid juvat aereas  
 54        praeferre parmas ? Omnia proterit  
 55        virtus, Anhaltinumque fracto  
 56        detrahit exanimem caballo.  
 57        Turnus superbi nominis ambitum  
 58        jactare visus, denique repperit  
 59        majoris Aenea lacertos.  
 60        Verte pedem, Frederice, retro,  
 61        Rex heu ! caduae fabula gloriae.  
 62        Campum petebas, seu Megalesia  
 63        Romana spectaturus inter  
 64        artificis simulacra ludi.  
 65        Discede Circo. Feria (non vides ?)  
 66        hostile spirat praelia classicum :  
 67        frustraque nitentes reverti  
 68        mergit equos equitesque Molda.  
 69        Ergo incitata cornipedis fuga,  
 70        sese paventem protinus abstulit  
 71        per plana, per saltus ! In Urbem  
 72        non alio redditurus anno.  
 73        Soluta laevo crure Periscelis  
 74        (Pudor !) Britanni perditur in via  
 75        favoris ornatus : repertum  
 76        ludibrio diadema multo.  
 77        Jacent feroce se numerosius  
 78        in bella fastus : spes crepat improba

79        tandem, sinistrorum, et triumphat  
 80        laurigero bona causa curru.  
 81        Illam ministris auxiliaribus  
 82        circumdat aether : et medias licet  
 83        feratur in flamas, obumbrat  
 84        aligerum clipeata nubes.

## AD MATREM AMABILEM.

02\_4      v.1        Quisquis o mitis, tua teque, Mater,  
 2            non amat, tristi niger est veneno ;  
 3            et soporantis furiale virus  
 4            suxit echidnae.  
 5        Illum et in saltu, fera saeviorem  
 6            tigris a veris catulis removit,  
 7            lacte depulsum ; timuitque dirum  
 8            pascere foetum.  
 9        Illum et insani timuere fluctus,  
 10          ore spectantis prius excitati :  
 11          illum et horrebit venientem ad umbras  
 12            janitor Orci.

## AD OTHMARUM DANDIRAM

02\_5      v.1        Si verum excutimus sinu,  
 2            ex quo fatidica primus in arbore  
 3            suspendit Genitor gulam ;  
 4            heres stultitiae non dubius nepos,  
 5            infelix patrimonium,  
 6            Manes quisque suos ac furias habet.  
 7            Ipsi debitus in suas  
 8            sectus particulas as pueris datur.  
 9            Hinc jam cymbala, patrii  
 10          juris signa petunt, et quatiunt nolas.  
 11          Dulce est desipere in loco :  
 12          factis quisque suis clamat Horatius.  
 13          Raro vertice non scatet  
 14          seu cornutum aliquid, seu bene mobile  
 15          et par auriculis Midae.  
 16          Frustra dissimulas Dandira Dandirae,  
 17          et dici fatuus fugis.  
 18          Ah ! non te fugies : sive Porysthene,  
 19          seu defluxeris Isara !  
 20          Fatis res agitur : fata nepotibus  
 21          instant. Desuper ingruit  
 22          convulsis cerebrum debile tegulis  
 23          urgens imbricitor Notus ;  
 24          ventosumque caput Gorgone sibilat.

## AD CAROLUM WETTERAVIUM

02\_6      v.1        I, quo vocaris, Carole, sed prius

2 politiori fac patientiae  
 3 immane votum. Dice blandum  
 4 ferre jugum, et lepidos dolores.  
 5 Est aula pontus. Spes tua naviget  
 6 vicina ripae. Qui pelago nimis  
 7 fudit quieto, larga praeceps  
 8 immodicis dare vela ventis ;  
 9 calumniarum saepe cerauniis  
 10 illisus, eheu ! Cum gemitu ratem  
 11 ad saxa non vitata franget,  
 12 tristius Emmanuele Sosa.  
 13 Sparsae natabunt ludibrium trabes,  
 14 ridente portu, quo male solveras  
 15 in altum ? Et eluctata raro  
 16 frustra suum Dominum revisent.  
 17 Quod turbulentum senseris, edoma,  
 18 mentes hiulcas Gloria transilit,  
 19 fastidit imas, vive nulli  
 20 asperior, tibi durus uni.  
 21 Sit magna famae cura, supercili  
 22 sit nulla : fastum palpebra nesciat.  
 23 Utcumque sors mutanda ludit,  
 24 non cupias cecidisse semper  
 25 ad vota talos. Purpura, quam geris,  
 26 mutat colores. Sidera nunc micant,  
 27 nunc nube subjecta teguntur ;  
 28 perque vices variatur annus.  
 29 Felicitatis pars, puto, maxima est,  
 30 felicitati fidere parcus.  
 31 Qui non latens latere mallet,  
 32 ille potest sapuisse dici.  
 33 Nescis ? In aula sunt vitrei gradus.  
 34 Scandes deorsum crebrius, et cades  
 35 sursum ; repentinaque terrae  
 36 terga dabis resupina motu.  
 37 Sed temet ipsum dispice : caetera  
 38 permitte Fatis. Rodit inutilis  
 39 exulceratum cura pectus ;  
 40 seque dolor cumulat dolendo.  
 41 Caelum minatur fulmina ? sustine.  
 42 praesens voluptas allicit ? abstine.  
 43 Fortuna blanditur ? recede.  
 44 Vana minax fremit arma ? ride.  
 45 Places ? Favorem cautius occupa,  
 46 jaces ? Triumpha tutus in otio.  
 47 Levaris ? exulta modeste.  
 48 Deprimeris ? patiare flecti.  
 49 Insultat hostis ? dissimula. Dolet ?  
 50 gravare noli, plura quid impero ?  
 51 Virtute stabis. Sola Virtus  
 52 et facit, et faciet beatum.

IN GRATIAM NOBILISS. ADOLESCENTIS SEBASTIANI VENATORIS

02\_7 v.1            Jungentur lepori canes,  
               2 et pardi capreis, et timidi latus

3            asternent ovibus lupi.  
 4    Pisces aerios transilient Notos :  
 5        et supra juga montium,  
 6    ballaenae choreas cum vitulis agent,  
 7        cervi subter aquas, sua  
 8    deponent liquidae cornua Naiadi,  
 9        quae saltus per et avia  
 10    silvarum volitans, pennipedes apros  
 11        laxis retibus induet.  
 12    Haec possunt fieri, Virgo, meum decus.  
 13        Ut te, vel tua, deferam ?  
 14    (Sic me, Diva, juves) haud fieri potest.

EXCLAMATIO. IN FUNERE DIVITIS, CUM SEPELIRETUR.

02\_8    v.1    Adeste, magni carceris incolae,  
 2        parvoque claudi discite carcere.  
 3        Hanc vestra libertas Seriphum  
 4        hos Gyaros subit exul orbis.  
 5        Post fata cunctis sufficit angulus,  
 6        et parvus affer. Turrigeris ubi  
 7        innixa Maurorum columnis,  
 8        ac minio variata moles ?  
 9        Aut lata per quae jugera milvius  
 10      volans, citatas tot stadiis tamen  
 11        lassavit alas ? Nunc avitis  
 12        nomen ubi fluitare bullis  
 13        sparsum, et cruenti sanguis originem  
 14        foetens tyranni ? Nunc lituis ubi  
 15        elisus, et rumor vapore  
 16        astra super populosque vectus ?  
 17        Venter pusillus, grande negotium  
 18        quo jam recessit ? Quis leget ostrea  
 19        Gaurana pransuro ? Ligatae  
 20        quem veteri saturabit uva  
 21        fuligo testae. Pomiferis ubi  
 22        autumnus implens arboribus nemus ?  
 23        Funesta creverunt Adami  
 24        (insere nunc Meliboei,) poma  
 25        ingratus heres caetera possidet,  
 26        te flente ridens ille palatii  
 27        metator, insultat sepulcro,  
 28        Calve, tuo, titulosque calcat.  
 29        Fert ille torques, et Tyrii vomit  
 30        spumas aheni : te redimiculis  
 31        cingent inornatum lacertae.  
 32        Heliadum bibit ille crustis  
 33        tandem solutis caecuba clavibus  
 34        mappamque tingit : te nec aqua, cinis,  
 35        lustrare dignetur. Quietem  
 36        sub placido capit ille cygno :  
 37        te saxa pressant. Ille reconditae  
 38        talenta gazae promet, et intimae  
 39        avarus immigrabit arcae ;  
 40        funereo tibi nec triente  
 41        In os reposto. Si lacrimas dedit,

42       cum dulce pondus, carum odium extulit ;  
 43        credantur emptae ; vel Charontis  
 44        immemorem redolere Lethen.  
 45       Proh fluxa rerum, fluxa potentia,  
 46       opumque ludus ! Somnia, somnia  
 47        emissa per rimas eburnae,  
 48       mox iterum revocanda, portae.

## DE JOANNE BABYLA SUEVO

02\_9      v.1       Credet hoc quisquam ? Babylas maritus  
 2           conjugis quintae, simul occupatam  
 3           litibus, secum rapuere tristes  
 4            fata sub umbras,  
 5           ducit et sextam, vetulus juvencam.  
 6           Unde tam diros, precor, hausit ignes ?  
 7           Esse dicamus super omne regnum  
 8            majus amoris.  
 9           Qui maris fluctus semel enatavit,  
 10          non bis accusat mare : sed madenti  
 11          veste suspensa Galateae ad aram,  
 12          abstinet undis.  
 13          Nesciunt stulti sibi non nocere  
 14          quinta quem nullis domuit lupatis  
 15          uxor, in poenam dominas meretur  
 16          ducere centum.

## AD PAULUM RIVERNAM

02\_10     v.1       Frustra querelis conterimus diem.  
 2           Jam nunc inanes mittite, Stoici,  
 3            rixas : locuturumque verba  
 4           Pieriis socianda chordis  
 5           audite vatem. Quis sapiens ? Sibi  
 6           sat ipse solus. Quem neque dimovet  
 7            a jure libertas, nec ensis  
 8            purpurei violens tyranni.  
 9           Regnare dicas : qui posuit metus,  
 10          hic sceptrum sumpsit. Nobile cum Dei  
 11          templum, fit orbis ; digna templo,  
 12          pectus erit sapientis, ara.  
 13          Nec Rhenus illi gurgite patriam  
 14          signat, nec Ister. Roma sit Ausonum,  
 15          an Shonga Bojorum, profunde  
 16          dissimulat generosus hospes,  
 17          mundi inquilinus : moenibus ac domo,  
 18          quam sol eundo circumit, ignea  
 19          contentus, includi lutosa  
 20          Urbe negat brevibusque muris.  
 21          Nullius idem sollicitudinis,  
 22          quo natus anno, quo genitus patre :  
 23          vulgo requirenti fatetur  
 24          luce palam, sine fraude tantum  
 25          se nosse recte vivere. Vivere,

26 non esse solo vescier aethere :  
 27 sed laude, virtutisque fructu  
 28 egregiam satiare mentem.  
 29 Ut quisque caelo decidit optimus,  
 30 est ejus annus. Tempora, crastinum  
 31 ignorat hesternumque mane,  
 32 Cum superis hodieque vivit :  
 33 et puncto in uno totum agitat sui  
 34 collectus aevum linquere sarcinam  
 35 et ferre mortalem paratus :  
 36 quamque piger cupisse multa,  
 37 tam curiosis luminibus vigil :  
 38 ut temperatum pectoris alveum,  
 39 concinna tranquillo voluntas  
 40 naviget, insideatque vento.  
 41 Non Ira fluctus, non Amor excitet ;  
 42 frangatve remos impatiens Dolor :  
 43 aut incitatae vela mentis  
 44 destituat timor in Charybdi.  
 45 Hic liber est , qui se sibi vindicat :  
 46 suique semper nobilior bonis,  
 47 caduca, quae late patentem  
 48 trans animi jacuere ripam,  
 49 indigna curis grandibus aestimans ;  
 50 quocumque casu perdita, cum parum  
 51 segmenta tonsae sparsa barbae,  
 52 restitui spoliatus optat.  
 53 Jam qualis inter prospera ? Nubilus.  
 54 Rebus secundis, si nimiae fluant,  
 55 oblatrat, infigitque dentem.  
 56 Fluctibus exagitatus, inter  
 57 adversa tanto laetior exsilit.  
 58 Fortuna mollis pugnet, an aspera,  
 59 haud curat, utriusque victor.  
 60 Ferreus in vitream cadendo,  
 61 frangit gementem pondere : ferreae  
 62 luctator obstat laneus, ac rudes  
 63 consopit ictus et fatigat  
 64 arte pari jaculantis artem.  
 65 Hac ille tutus, non premitur malis ;  
 66 sed major uti gaudet, et ultimam  
 67 exspectat inconcussus horam :  
 68 qua Superi voluere lege.  
 69 Si certa capti mors animi fuga est ;  
 70 cur expavescat compedibus Geta  
 71 solvendus ? Auctorem sequatur  
 72 me quis, et ad populum silentem  
 73 citatus. Adsum, clamat, et irruat  
 74 festivus umbris : seque potentibus  
 75 reddat, nec accuset negantes  
 76 plura Deos iterare lustra.  
 77 Nulli querentes secula corripi,  
 78 calumniantur fata protervius ;  
 79 quam qui merebatur recondi  
 80 ante diem, properante fato.  
 81 Hic fila solvo, quid mihi, Virina,  
 82 quid, Paulle, dices magnificentius ?  
 83 Jam nunc quiescamus sub alno :

84           cras aliam feriemus oden.

AD D. VIRGINEM

02\_11 v.1     Diva, quam circum spatiosa late  
               2     hinc et hinc crescit nemoralis arbos ;  
               3     et supra nubes procul acta ramis  
               4       sidera vertit.  
               5     Ut libens dignas habitare sedes  
               6     cerno sublimem ! Nebulosa quamvis  
               7     saxa praecingant, amor egit altum  
               8       visere montem.  
               9     Cui Therapnaeae metuant Amyclae  
 10     terga conferri, viridisque Cynthus :  
 11     quaeque famosos agitata pascunt  
 12        Maenala cervos.  
 13     Verticem supra, mediumque caelum  
 14     inter et terras humiles jacere,  
 15     arva despecto penitus remota,  
 16        proximus astris.  
 17     Hic moror. Vos, o socii, redite  
 18     indices voti. Stat in hoc recessu  
 19     emori ; nam quo tumulo reponam  
 20        dignius ossa ?  
 21     Spirat ex antris pietas, et horror  
 22     conscius Nymphae. Locus ipse gratum  
 23     terret ac mulcet, Superique per pre-  
 24        cordia fusi.  
 25     Sive nimbosas quatit Auster alas :  
 26     sive brumali Boreas minatur  
 27     ninguidus cornu : niveae tenemus  
 28        Virginis aulam.  
 29     Hinc ut avellar ? Prius ima valli  
 30     incident rupes, pedibusque dorsum  
 31     et caput junget : prius ipse fontem  
 32        deferet Oenus.  
 33     O quies semper memoranda silvae,  
 34     o tuum vere meritura nomen :  
 35     da frui fessis aliquando vera,  
 36        silva, quiete.

FUGE DILECTE MI, ET ASSIMILARE CAPREAE, HINNULOQUE CERVORUM....

02\_12 v.1     Miserarum est, nec amori dare finem :  
               2     nec amantis tamen aestum tolerare  
               3     propiorem : nec amando cruciatam satiari.  
               4     Fuge proles genitoris sine matre :  
               5       Libani qua sacra vestit juga cedrus,  
               6       age, praeceps salientum fuge ritu caprearum.  
               7       Fuge praesens, mea Lux : nam nimis uris.  
               8       Flagro, qualis liquefacta pice taeda :  
               9       simul ignes agitatos leve venti jaculantur.  
 10        Age proles genitricis sine patre,  
 11        fugientes cata cervos imitari :

12 super altos redolentum fuge montes Zephyrorum.  
 13 Ubi nardo socialis crocus halat :  
 14 ubi spirat Solymaeae nucis arbor :  
 15 ubi thuris bene largus, generosi fluit imber.  
 16 Fuge, sed respiciens huc refer ora.  
 17 Iterum saevit ocellus, fuge tandem  
 18 neque velox, neque tardus : fuge ritu caprearum.

## MERCURIUS

02\_13 v.1 Ocius gressum celerate, cives.  
 2 Nuntius Maia generatus adsum ;  
 3 Qui per infernas superasque lucet  
 4 semita sedes,  
 5 huc recens Egra venio, per auras  
 6 lapsus ; ut ventos agilis secarem,  
 7 addidi pennas tunicatus et ta-  
 8 laria plantis.  
 9 Bis nimis raptim properantis angues  
 10 sede concussi cecidere sceptri.  
 11 Bis reclinatus medio galerus  
 12 vertice fluxit.  
 13 Imus ad fontem ducis : inde mira  
 14 major audiri referam duella.  
 15 Omnia nostris onerata monstris  
 16 tinniet auris.  
 17 Ordinar, linguis, populi, favete :  
 18 cuncta, Fridlandus violens, ab imo  
 19 imperi pessum solio daturus,  
 20 credite, vixit.  
 21 Ordinem fatiferiemque pando.  
 22 Pone se Pilsna timide relicta,  
 23 multa volvebat nocitura moerens  
 24 solus in arce.  
 25 Proditis ergo moriemur armis ?  
 26 Mene deceptum reditu Galassus  
 27 lusit et vanus titulos honoris  
 28 Caesar ademit ?  
 29 Sunt tamen vires, quibus ima summis,  
 30 summa miscebo metuendus imis.  
 31 Est adhuc nervus, gravidaque nummis  
 32 miles in arca.  
 33 Largus argenti super arva sparsi,  
 34 colligam plenis aciem maniplis :  
 35 quanta ferratae crepitare numquam  
 36 coepit aristae.  
 37 Quanta Medorum neque visa campis :  
 38 sive captivam bibit Amphitriten ;  
 39 seu diem densis glomerata turmis  
 40 abstulit orbi.  
 41 austrios Boiis Laribus Penates,  
 42 patribus natos furibundus una  
 43 caede confundam, penitus revulsa  
 44 stirpe nepotum.  
 45 Inter haec, noctem roseus supremam  
 46 Vesper emissis revocabat astris :

47 Sole sub terras abeunte, serae  
 48 tempore Brumae.  
 49 Quando (sic divi voluere) pulchrae  
 50 lucis heroes, animaeque magnae,  
 51 dulce conjurant, tacitosque claudunt  
 52 pectore foedus.  
 53 Fida Butleri manus, et valentis  
 54 certa Gordoni penetrare aenas  
 55 tegminis squamas, celebrisque comi  
 56 Leslius astu.  
 57 Iste Fridlando catus obsequentes  
 58 duplici nutus simulare vultu,  
 59 clam cruentandis epulum paravit  
 60 funebre mensis.  
 61 Huc Thyestae properant ad aram  
 62 victimae : pingui bove major Ilo,  
 63 Terskii venter, Nyemannus audax,  
 64 Kinskius acer.  
 65 Jamque bellaces animos movebat  
 66 vena diffuso calefacta vino ;  
 67 et voluptatis stimuli lubibant  
 68 Martis amorem :  
 69 Cum Geraldini subito caterva  
 70 Lene suspenso pede venit et qua  
 71 flexa postico via dimovetur,  
 72 irruit aulae.  
 73 Vivat Augustus, fremuere, Ferdi-  
 74 nandus, et regnet ! simul ense tota  
 75 solvit stricto scelerum quadriga, et  
 76 sanguine rorat.  
 77 Ilo , dum contra furit ire ferro,  
 78 membra concisus. Reliqui nocentem  
 79 Spiritum, venit trucis instar efflant,  
 80 qua data porta :  
 81 sic quoque audaces, et adhuc protervi.  
 82 Haesit in vultu moriente terror :  
 83 qualis aspecta facies timetur  
 84 torva Medusa.  
 85 Vasa cum fractis crepuere vitris :  
 86 multiplex una sonus e cadentum  
 87 vulnere et mistus rediit cruento in  
 88 pocula Bacchus.  
 89 Mox ad Albertum : caput addituro  
 90 devero fatis, dolus, anne virtus,  
 91 ad Deus ? Certe bene fortuitam  
 92 praebuit hastam.  
 93 Talis infestum Garames leonem  
 94 vadit exsultans jaculo ferire.  
 95 Dum timet, gaudet tamen ira magni  
 96 conscientia voti.  
 97 Ter pede illiso tremuere postes :  
 98 ter pedem illisum repulere postes.  
 99 Cessit insultu patefacta late  
 100 janua quinto.  
 101 Hic supra lectum residere visus,  
 102 ille Germanae Catilina Romae :  
 103 qualis immani jacuisse fertur  
 104 Cacus in antro.

105 Proditor ! (Sed mox gelat hortor artus :  
 106 stant comae, muti pavor errat oris)  
 107 tune Romanum, malesane, perdes  
 108 funditus Orbem ?  
 109 Dixit : et contra meditatus ictum,  
 110 qua potest, tota latus hausit hasta.  
 111 Ille singultans animam stupentem e-  
 112 jecit ad umbras.  
 113 Vos, io, mecum celebrate ludos !  
 114 Aura communi sonet icta plausu !  
 115 Laeta festivum freme, turba, lessum !  
 116 Bestia vixit.  
 117 Caesarem quondam male Roma caesum  
 118 vidit a Bruto : bene nunc vicissim  
 119 tota servato videt Egra caesum  
 120 Caesare Brutum.  
 121 Omnis hoc semper patitur tyrannus.  
 122 Aut enim ferro perit et veneno,  
 123 aut metu : judex suus ipse poena  
 124 dignus utraque.  
 125 Mercuri, quo te celarem repente  
 126 proripis ? Motis secat, ecce, claras  
 127 brachiis nubes, liquidaque corpus  
 128 remigat aura.  
 129 Sic vola, sic saepe redi, novarum  
 130 Arbiter rerum. Tibi prona semper  
 131 auris, et nostrae citharae vacabit  
 132 longior usus.  
 133 Vatibus felix ego dicar olim ;  
 134 cuius obtuso licet et strepenti  
 135 barbito, lusit Fidicen decora  
 136 Pleiade natus.

## AD DIVAM VIRGINEM

02\_14 v.1 O quae Maenalia, Virgo, potentior  
 2 venatrice dea, collibus accubas  
 3 umbrosis ; et in omnes  
 4 exerces pharetram feras :  
 5 silvarum studiis asperioribus  
 6 nutritum juvenem protege ; qui canes  
 7 cras educet in aprum,  
 8 majorem Calydonio.  
 9 Quot jam stravit equos bellua dentibus !  
 10 Rostro vastat agros, et sata proruit.  
 11 Deflent damna coloni,  
 12 et brutam metuunt famem.  
 13 Sed Lecanta modum ponet, et improbam  
 14 crudelemque gulam, fortior Hercule,  
 15 cum venabula sumpsit,  
 16 toto funere porriget.  
 17 Multum, Diva, tuis, ut memorat mihi  
 18 fidens auspiciis, quis etiam tigrim,  
 19 barbatumque leonem  
 20 ausit cominus aggredi.  
 21 Non is sollicitis ambit Oreades

22 Dianae precibus : nec gelidis vovet  
 23 eluctatus Amyclis,  
 24 aram ponere frondeam.  
 25 Discedant veteres Taygeti Deae :  
 26 flavas sparsa Noto Nebrophone comas  
 27 et famosa Lycaste,  
 28 et Theron jaculis minax.  
 29 Illi tu potior : cui viridem solet  
 30 In silvis petasum sternere praesidi ;  
 31 mane et vespere pronus,  
 32 et cum stat medius dies.  
 33 Fontes cervus amat, juniperum lepus,  
 34 vulpes antra, favos ursus, aper jugum.  
 35 Summas caprea rupes :  
 36 te, Virgo, Radagisius.

## AD MARQUARDUM NASTURTIUM

02\_15 v.1 Veto duellum judicis ac rei !  
 2 Quod iste ferro debilis, hic ferox  
 3 absolvit argento, quot enses,  
 4 heu, similis male fregit hasta !  
 5 Evollo Sphingem. Pollicitis veto  
 6 vendi favores, munere calculum.  
 7 Submovit ostracismus olim  
 8 judiciis Ephoros inquis.  
 9 Pix omne munus. Casta manus picem  
 10 non tangat umquam. Quisquis olet rubrum  
 11 stillantis unguentem metalli,  
 12 Tartareum grave foetet hircum.  
 13 Illime nomen pulcrius est Scypho,  
 14 quem limus Hermi proliuit aureus.  
 15 Praetoris in parvo salino  
 16 pauperies animosa splendet.  
 17 Quo pondus urget, nudaque veritas ;  
 18 examinatis caussa bilancibus  
 19 pendens feratur. Tum quiescat  
 20 triste forum, pelagusque raucum.  
 21 Et huic mari stent littora ; quod bona  
 22 tot liberorum rapta querentium,  
 23 plenasque pupillis carinas,  
 24 et viduas inhiante naves  
 25 demersit alto, providus arbiter  
 26 scrutare caussas, inspice sanguinem,  
 27 incide venam nosce morbum, et  
 28 semina, principiumque litis.  
 29 Nec Manlianum judicium probo,  
 30 nec Laelianum. Dii medium tenent.  
 31 Clementiam terrore muni :  
 32 Atticus et Cato misceantur.  
 33 Quod Theta figis, cum gemitu leges.  
 34 Ne rumpe funem, neu propera caput  
 35 obnubere, abruptamque cursu  
 36 in medio jugulare caussam.  
 37 Humana cervix, et Scythico foro  
 38 digna aestimari. Funera condimus

39        labore nullo : sed profectos  
 40        difficile est revocare manes.  
 41        Quondam in catino Symmachus exsilit  
 42        formidulosa piscis imagine ;  
 43        terretque convivas et atris  
 44        anguibus exagitat tyrannum.  
 45        Ergo videntem cuncta vereberis,  
 46        Marquarde, qui jus dicet ab Iride.  
 47        Conivet interdum : sed ulti  
 48        suppicio graviore pensat.

## MARIA. IN GRATIAM GEN. DOMINI IULIANI WEITENHOFII

02\_16    v.1        Tristis voluptas, flebile gaudium,  
 2            fuliginosas, o lacrimae , genas  
 3            et pectus ubertim lavate.  
 4            Illa ego sum Veneris probrosae  
 5            exusta foedis terra caloribus.  
 6            Rigate vultum : currite, currite ;  
 7            Aegyptus in me sicca squalet :  
 8            vos, lacrimae meus iste Nilus.

## PAEAN PARTHENIUS

02\_17    v.1        Non sola jactet Roma Lucretias,  
 2            castum cruentum fundere prodigas ;  
 3            ferroque transfacto decorum  
 4            magnae animae reserare pectus.  
 5            Et nostra vidit Tarquinios suos,  
 6            ac vicit aetas. Digna legi cano  
 7            tropaea, Nympharumque bella,  
 8            Strymoniis memoranda peltis.  
 9            Non una nostris Hippolyte stetit  
 10          famosa terris, impatiens probri :  
 11          turmasque et imperissa tangi  
 12          agmina, Penthesilea duxit :  
 13          contra severum nuper euntibus  
 14          Hunnis pudorem certa resistere ;  
 15          vulnusque tractando superbum  
 16          ausa mori, juguloque sanctum  
 17          praeferre florem. Credite posteri :  
 18          nativa casti frigora pectoris,  
 19          nivesque sinceras in ipsis  
 20          virginitas Alamanna flammis  
 21          servavit ; ipsos Cloelia Teutonum,  
 22          ad, Boia, portas, Anglipolis, tuas,  
 23          tranavit amnes , perque castra  
 24          attonitum patetfecit Istrum ;  
 25          stridente dirum in litore Porsena  
 26          non et sequaci. Sic Pholoe nemus  
 27          deprensa Fauno, vel fluentum  
 28          objicit, occuliturque kannis,  
 29          sic saepe visum Nais in aequore  
 30          Tritona torquet lubrica flexibus :

31        et vincta jam jam, se lacertis  
 32        solvit, aquas facilis subire.  
 33        Nefas inaudax ! O bene, Lappia  
 34        delusa, mollis ! Retro, age barbare,  
 35        armate retro cede leno  
 36        disce alias habitare thermas,  
 37        profundiori territus alveo.  
 38        Suam sequestro gurgite filiam  
 39        jam Rhenus exploravit olim  
 40        patrius et reperit Sibyllam.  
 41        Quo vero cantu prosequar, aut tuas,  
 42        Landsperga morum nobilis, aut tuas,  
 43        formosa, Landishuta, pugnas,  
 44        femineo statuente sexu ?  
 45        Proh quanta vestris, sive ferocia,  
 46        seu vis puellis ! Quam rigidus pudor.  
 47        Justeque saevus, dum retundit  
 48        tela manu bene pertinaci !  
 49        Minor leaenae pro catulis furor.  
 50        Nos immerentis luridus opprimat  
 51        Gothunnus, haerentemque scindat  
 52        immerito capiti coronam ?  
 53        At non Lacaenae degeneres sumus.  
 54        Servire natae. Qui voluit diem  
 55        vixisse supremum, neganti  
 56        audeat applicuisse vultum.  
 57        Sternetur, obtruncabitur, occidet.  
 58        Itum est in enses. Triste procantium  
 59        rejectus horror. Mille quamvis  
 60        circumeant, stat amara Virgo ;  
 61        et, ceu furenti turgida libero,  
 62        incontinentes terribilis manus  
 63        avellit. Infultus repressi,  
 64        dum reprimi potuere saxis,  
 65        pugnisque et ore et dentibus, ac pede ;  
 66        non facto ad unguem legis Ionicae,  
 67        sed Christianae. Per minaces  
 68        haec gladios animosa vadit :  
 69        haec Daedaleis fidere brachiis,  
 70        labique praeceps : illa sequi comes  
 71        Mortisque et aurae ; nulla cessat  
 72        debile sollicitare ferrum.  
 73        At dirus hostis Thermodoontiis  
 74        pares puellas, lilia messuit  
 75        cruenta collo. Quae cadebant,  
 76        stante tamen cecidere vultu.

## AD VIRGINEM MATREM PUERUM JESUM IN SINU TENENTEM.

02\_18    v.1        Virgo, nescio quid micas  
 2        claris plus solito laetitiis, simul  
 3        strinxit te roseus Puer.  
 4        Amplexu veterem non ligat arctius  
 5        quercum centimanus frutex.  
 6        Haeres illa tuo nexilis, hic suae.  
 7        Ut suspensus in oscula,

8 Materni Zephyrum fugis anhelitus !  
 9 Tu cedente premis gena  
 10 dilecti faciem : totaque myrrei  
 11 stillas ore bibis Dei,  
 12 una est, una anima est Filius et parens.  
 13 Vitae, Virgo, tuae Puer :  
 14 vitae tu pueri dulce coagulum.

## PECUNIA SERPENS.

02\_19 v.1 Caerula qualis maculosa squamae  
 2 mulcet ac pulchro ferit anguis ore :  
 3 talis aurato micat et nocet pe-  
 4 cunia collo.  
 5 Tecta formosum simul in metallum  
 6 repsit ; humanam faciem superba  
 7 induit regis, titulosque circum :  
 8 cetera serpens.  
 9 Serpit in vulgus. Sed enim venenum  
 10 quis sub argento radiare credat ?  
 11 Quis timet nummum tua mentientem  
 12 ora, Philippe ?  
 13 Allicit fallax, oculosque visu  
 14 multa sperantes pretiosus urit.  
 15 Mox et arcano nociturus igne  
 16 gestit haberi.  
 17 Ast ubi paullum manibus fricari  
 18 coepit, aut ruga caluit crumenae :  
 19 virus effundit, tacitaque dipsas  
 20 cuspide mordet.  
 21 Unde mutato color ore flavet ;  
 22 et sitis crescit, velut albus hydrops :  
 23 quam nec infuso vagus error Hermi  
 24 eluat auro.  
 25 Ipsa sedandas alit unda flamas :  
 26 plus semel poti sitiuntur amnes.  
 27 Splendidis semper novus in procellis  
 28 aestuat ardor.  
 29 Saepe discordi quatiens tumultu  
 30 turbat emotam furor ille mentem.  
 31 Nescit, insani quid agat, vel optet  
 32 Pallor avari.  
 33 Alba foecundo velut ales ovo,  
 34 incubat gazae ; neque dimovetur :  
 35 quamlibet fulmen jaculatus aether  
 36 irruat ollae.  
 37 Sepulcri natos, geniumque fraudat :  
 38 servus uxoris tolerat flagella  
 39 vapulat gaudens, dominaeque figit  
 40 basia doti.  
 41 Denique immensos sceleratus arcae  
 42 infodit census ; ut habere possit,  
 43 quod supra functi saliens sepulcrum  
 44 rideat heres.

## PENSILES HORTI VISENDI MONACHII, IN AULA SERENISSIMI ALBERTI..

02\_20 v.1 Alberte, juxta me comitem sinis  
 2 impune terram despicere et frui  
 3 novae superstantem columnas  
 4 pensilibus Babylonis hortis ?  
 5 O aura frondens ! O Zephyri domus !  
 6 Huc devoluti caelicolae, nemus  
 7 sublime noctu saepe visunt,  
 8 cum lepidae coiere stellae.  
 9 Hic ipse stellis fragrat olientibus  
 10 floralis aether, en copiaria  
 11 lucent in alto. Flamma vernat,  
 12 et roseos calathiscus ignes  
 13 hians odoro laxat in aere.  
 14 Hortante Majo jam tremuli sinus  
 15 vitale connivent et udos  
 16 rore lavant oculos amelli.  
 17 Regnat venustas discolor. Hic nives  
 18 luctantur in culmum : hic temere jacent.  
 19 Illinc comanti germen ostro  
 20 induitur, gremioque matris  
 21 abire gestit. Plurimus emicat  
 22 onyx in herbas. Areolas virens  
 23 partitur, insignitque buxus.  
 24 Sparsa nitent asarota circum.  
 25 Quam pura vivae prosilit e cavo  
 26 Aurora lymphae ! Fons medius toros  
 27 persultat, humorisque lucem  
 28 irriguum jacit in duellum.  
 29 At non et arbor nulla canentibus  
 30 demittit aures. Vidi ego sibilo  
 31 crispante ramos, colla ramos  
 32 flectere, et alloquio moveri.  
 33 Sentit poetas mitius arborum  
 34 genus, sacri non immemor Orphei.  
 35 Agnoscit ex illo Camoenas  
 36 nutibus, et foliorum acuto  
 37 susurras imbri. Connubialia  
 38 vidi Lyaeum tendere brachia :  
 39 vitesque desponsas, ad ulmum  
 40 viminibus viduam ligari.  
 41 Hic otiosis mollior Africis.  
 42 Gratum teporem Juppiter annuit.  
 43 Hic somnolentus spirat Eurus,  
 44 imperio gracilis Favoni.  
 45 Sed et calorem proxima decipit,  
 46 frangitque soles bruma sub algidos :  
 47 Apelle multo plena, multam  
 48 cornibus obiciens Dianam.  
 49 Ut cumque stricto dente Canicula  
 50 incensa mordet, vel Leo flammeus  
 51 crudele rugit : temperato  
 52 frigora conciliantur aestu.  
 53 Non prata Cydni. Non nemus Antii,  
 54 aut Tusculanum praetulerim gelu :  
 55 sacramque Praeneste et supinam

56 Tiburis, Hesperidumque villam.  
 57 Et vos beatis cedite Thessala  
 58 Tempe, viretis : tuque sororia  
 59 ad fratriis extincti sepulcrum  
 60 silva , Padum fateare vinci.

## AD ARSACIUM MAMIRODAM MUSICUM.

02\_21 v.1 Quid juvat vatem citharas amantem  
 2 mortuam plectris animare buxum ?  
 3 Verior nostro lyra, Mamiroda, in  
 4 pectore cantat.  
 5 Illa si nescis, gravis ac sonora  
 6 constat undenis fidibus, movendis  
 7 lege Naturae, nisi docta virtus  
 8 temperet arte.  
 9 Spe, metu, votis, odio, dolore,  
 10 gaudiis. Ira variatur omnes.  
 11 Corpus his nervis, animusque certo  
 12 contremittit ictu.  
 13 Inter argutas resonare chordas  
 14 est Amor princeps, age nunc et artem  
 15 disce ludendi capies magistro  
 16 certius usu.  
 17 Digna si speres, cupias honestum,  
 18 oderis culpam, metuas timenda,  
 19 diligas numen, modereris irae  
 20 laetus et insons :  
 21 mulceas ipsos homines, Deosque,  
 22 Orpheo major, pecudesque et ornos.  
 23 Totus astrorum chorus explicatas  
 24 arriget aureis.  
 25 Sin ames parvum, fugias petenda,  
 26 pejor adversis, hilaris proternum,  
 27 saevus irasci, timidus dolere,  
 28 turpiter audax ;  
 29 dissono, vae, quam vitiata cantu  
 30 corda stridebunt ! Tua quale carmen  
 31 Musa disperdet. Stygii Camoenis  
 32 apta tyranni !  
 33 Cum ferox raptor spoliasset Aetnam ;  
 34 jamque de nigro revoluta curru.  
 35 Tristis infernas Cereris subiret  
 36 filia sedis :  
 37 ante consistens Hymenaeus Orcum,  
 38 hac lyra moestam voluisse sponsam  
 39 fertur et Manes hilarare : sed Pro-  
 40 serpina flevit.  
 41 Nuptias, eheu ! miseranda nostras.  
 42 Raptus clamabat, resonare malim  
 43 antra Vulcani, Siculaeque rupis  
 44 nubere fabro.

## ARTIFICIOSUM SIMULACRUM PUSIONIS.

02\_22 v.1 Puelle, seu te progenuit novus  
 2 fictrice vivum Pygmalion manu :  
 3 sive ipsa praegnantem rosarum  
 4 postquam uterum dea Flora solvis  
 5 in hujus horti depositus toro :  
 6 matremque ut ipso munere disceres,  
 7 priore custodem remoto  
 8 pensilium dedit esse florum.  
 9 Vincis capillis Earini comas,  
 10 et ore Nysum Sangarius tibi  
 11 suaque deceptus figura et  
 12 Ladmius, Idaliusque cedunt.  
 13 Tam delicatae verus imaginis  
 14 optet vocari Praxiteles pater :  
 15 suosque perlustrans Amores  
 16 pinniferum Cytherea credat.  
 17 O, ni loquela Fata tibi puer,  
 18 usum negassent : quae mihi panderes  
 19 arcana stellarum, recepta  
 20 auribus et Satyrorum acuta !  
 21 Nam scis, et audis, qualibus area  
 22 dilecta noctu ferveat incolis :  
 23 vides Napaearum choreas  
 24 institui, saliente Luna.  
 25 Sic perge dulcis sidereum nemus  
 26 (et istud audes) ingredientibus  
 27 ad limen arridere. Perge  
 28 sic teneri nive pollicis prae-  
 29 libare flores, pulcer ianthini  
 30 pincerna veris. Te Zephyritidum  
 31 fratrem, coronabit quotannis,  
 32 et violae linet aura succo.

## AD ROCHUM CALLIRABIUM

02\_23 v.1 Haec dico vates : qui moriens sibi  
 2 occurtere audet, nec timet ultima ;  
 3 Mortem lucratur, ille manes  
 4 laetus adit, sociatque dextram  
 5 et tu sepulcrum, Callirabi, times ?  
 6 Heu ! cerno luctus degeneres notas.  
 7 Flevisse natum nemo culpat.  
 8 Tunc miserae velut imperito  
 9 vitae, sub ortum, dii veniam dabant :  
 10 fatumque ocellis aequius uvidis  
 11 ignovit ultrro, sed pudendis  
 12 nunc lacrimis tua tingis ora :  
 13 postquam dolendi continuo puer  
 14 probatus usu, totque malis senex,  
 15 extrema defles ; et relinquis  
 16 cum gemitu moribundus orbem ;  
 17 aeterna quo te secula tempore  
 18 aetatis, immenso accipient sinu.  
 19 Gaude reformari labore

20 letifero, properaque in auras.  
 21 Te morbus aevo parturit alteri.  
 22 Esto, putrescat corpus : et obstetrix,  
     primaeva nascentis severo  
 23 vincla secat peritura cultro.  
 24 Tunc liber infans exilit in diem,  
 25 hauritque caelum. Tu quoque fasciis  
     ad astra membrorum solutis,  
 26      bis genitus volitabis Aeson.  
 27  
 28

## AD DIVAM VIRGINEM. MULTAE FILIAE CONGREGAVERUNT DIVITIAS

02\_24 v.1 Patriis, Virgo, citharis canenda,  
 2 si quid indulges aliis, sonoras  
 3 in tuae laudis segetes ituro  
     annue vati.  
 5 Non parem felix habuisse Mater,  
 6 unicum Sarae, geminos Rebeccae.  
 7 Et Leae natos utero triumphas  
     fertilis omnes.  
 9 Cur tibi stellis oculata Rachel  
 10 comparo lippam ? Nihil illa ploret.  
 11 Quam Deo plenam voluit Deus ri-  
     dere parentem.  
 13 Pulcrior, quae te simulasse pulcra  
 14 fertur Hesthera : neque enim videntem  
 15 aureo quamvis speculo recepta  
     aequat imago.  
 17 Vix suum toto valuere vultu  
 18 mille dilectum retinere Nymphae :  
 19 qui tui sistit tibi crine colli  
     saucius uno.  
 21 Vera mansuri Sulamitis aevi.  
 22 Liqueris sponsi teneros in ignes.  
 23 Jam tuos omnis super axe novit  
     collis amores.  
 25 Debora vates animante major  
 26 castra Baraci pariter Jahele  
 27 fortior, Ditem Sisaram trabali  
     figere clavo.  
 29 Qualis exsultim quatiente flavos  
 30 curribus pictis Pharaone campos  
 31 pompa procedit, medioque fulget  
     terror in ostro :  
 33 tale munitae speciosa formae,  
 34 arduam regi faciem coruscas.  
 35 Aspici gratus decor ille toto  
     militat ore.  
 37 Casta Judittae manus, et ferire  
 38 docta cervices, Holoferne caeso,  
 39 laureis vincum tibi fortiori  
     tradidit ensem.  
 41 Quaeque Jessidae gladium repressit  
 42 improbi conjux celebrata Saxy ;  
 43 eloqui prudens tibi Virgo pruden-  
     tissima cedit.  
 44

AUCTORIS EXCLAMATIO ADVERSUS OCTAVIUM CAESAREM AUGUSTUM M. TULLI CICERONIS...

02\_25 v.1 Ingratus hic, et barbarior fuit  
 2 lictore, qui te, Marce, reliquerat  
 3 lictoris infamis sub ictu.  
 4 Popilio quoque parricida  
 5 Octavianus paene nocentior.  
 6 Numquam curulem presserat auream :  
 7 si non tulisses tam disertam  
 8 consul opem, populos et urbis  
 9 supra levato Dardaniae caput.  
 10 Sed cum procacis leno Volumniae,  
 11 sicciorum fretus armis,  
 12 te premeret, gladioque servi  
 13 caedi juberet : num repulit manus  
 14 Antonianas Romulei potens  
 15 alumnus ostri ? Num cruentos,  
 16 qua poterat prohibere dextra,  
 17 collo patroni sollicitus sui  
 18 avulsit enses ? Ille tyrannidi  
 19 crudele conivebat hostis,  
 20 imperio caput immolanti.  
 21 Heu, Tullianae pulchra Philippicae  
 22 praefecta cervix, ludibrium foro  
 23 pependit in Rostris feroci  
 24 eloquio datur ista merces.

AD S. P. Q. M. CUM IN MEDIO FORO D. VIRGINIS

02\_26 v.1 Videtis ? Ut se nubila dividunt !  
 2 Quamvis aquosam evolvere fasciam  
 3 minentur Austri ; mitigato  
 4 pura tamen subit aura coelo.  
 5 Io ! revulsis solvite vinculis,  
 6 captiva, cives, solvite gaudia :  
 7 et magnus et major sacerdos,  
 8 et proceres bona verba dicant,  
 9 haec Diva vestri Gloria principis.  
 10 Posthac et urbem et templa tuebitur :  
 11 quae nuper Arctorum dicatis  
 12 depulit a Laribus tyrannum.  
 13 Infusa postquam Balthis inhorruit,  
 14 ac se minacem miscuit Isarae :  
 15 heu ! turbulentis Boia late  
 16 fluctibus insonuere saxa.  
 17 Totoque Mavors intonuit Foro.  
 18 Num sera credet posteritas, locum,  
 19 quo stamus, implevisse Suecos ?  
 20 Hic epulans ululavit Hunnus ;  
 21 hic fulgurabant arma Panerii.  
 22 Hoc castra clivo fixerat Hornius :  
 23 et solis Hebronius sub ortum  
 24 Bistonias agitavit hastas.

25        Rex ipse fictum risit, et aureos  
 26        sparsit dolosa per populos manu  
 27              Gustavus imbræ, corda veris  
 28              callidus exonerare monstris,  
 29              terrere vanis ; dum placide jubet  
 30              ludensque saevit : non tamen exsule  
 31              pejor Palatino. Favillæ  
 32              et cineri niger ille totam  
 33              devovit urbem ter penetralibus  
 34              suppostus aulae, ter refugus nefas  
 35              elusit ignis ; terque cassam  
 36              flevit atrox Fridericus iram  
 37              auferte Fatum : neu leve garrula  
 38              Fortuna nomen jactet ab aethere  
 39              refulsit improvisa virtus.  
 40        Virgo faces Nasarena, Virgo  
 41        avertit enses ; Virginis est opus.  
 42        Virgo canatur : dicite virginem  
 43              nuptaeque et innuptæ puellæ,  
 44              et patrium geminate carmen !  
 45        Salve cruentis aspera Regibus,  
 46        Clemens benignis tu mihi carior  
 47              Faustina, castrorumque Mater.  
 48        En pario tibi caesus altam  
 49        de monte (supplex obsequium ducis)  
 50        erexit aram nec Latia minor,  
 51              in astra consurgens ab imo,  
 52              grande secat obeliscus auras.  
 53        Stas laeva supra marmor, in aureo  
 54        fulgore vestis crine humeri latent :  
 55              caput coronatum triumphat.  
 56        Luna pedes subiecta lambit.  
 57        Aurora Mundi, prospicis alteram  
 58              (ac non minorem). Sol Puer insidet  
 59              ulnis renidentesque blando  
 60              ore tibi radios propinat.  
 61        Huc advolantum exercitus ignium,  
 62        formosa noctu deferet oscula.  
 63              Sedem fatigatis quietam  
 64              sideribus dabit una cervix.  
 65        Huc et tabellas (auguror) aeneas :  
 66        ceramque vulgus ponere gestiet :  
 67              aedasque lucentes fovebit  
 68              turba sacri studiosa vultus.  
 69        Tunc prona curvo poplite civitas.  
 70        Emissa tectis ad sonitum tubæ  
 71              sternetur, et clamore summas  
 72              laeta fremet feriente nubes.

## AD GERASIUM SUMARAM ALSATAM

02\_27    v.1        Si nostram potes eminus  
 2              exaudire chelyn, Summara, Martiis  
 3              aureis Idibus arrige.  
 4        Sollers Threicii carmine barbiti  
 5              Retro vertere flumina ;

6 ausim et Danubii non novus accola.  
 7        Rheno mergere tibiam :  
 8        summasque in scopulis Helvetiae casae  
 9        Campo nectere Boico.  
 10      Cur desideriis me stimulas tuis,  
 11        importunior Africo ?  
 12      Frustra Vinmarii jussa Damastoris  
 13        accusas, tibi mollior,  
 14        quam Fortuna velit, disce placentibus  
 15        vel sic destitui bonis,  
 16        maternoque soli fertilis ubero  
 17        uvam bis decimam recens  
 18        mutavit Bromius, sertaque spiceo  
 19        divulsit capiti Ceres,  
 20        ex quo distineor finibus Alsatae,  
 21        nec mustum patriae bibo.  
 22        Me, si Fata volunt, accipiat lacus  
 23        trans Moeotida nigrior.  
 24        Ultra Sauromatas deferar ultimos.  
 25        Et canae juga Phasidis  
 26        qua convexa patent aetheris atria,  
 27        vastam possideo domum.  
 28        Hic sum natus, ubi sum celebrem loco  
 29        In quovis patriam, viri  
 30        fortes inveniunt, vel faciunt sibi.  
 31        Eheu ! plus nimio memor,  
 32        Natalem quereris perdere glebulam :  
 33        transportatus es ex tuo,  
 34        non ejectus agro, crede coloniam  
 35        Romani tibi militis  
 36        concessam veteres Ausoniae duces,  
 37        spretis montibus Italisi,  
 38        quod vincunt, habitant. Corrige tristia.  
 39        caelum, quo tegeris caput ;  
 40        terram, quae profugo subicitur pedi,  
 41        nemo auferre potest. Vale.  
 42        Mirum ! Sponte fides ter recinunt, vale.

## ENTHUSIASMUS. CUM AUCTOR EX THEATRO TRAGICO FRANCISCI ROSSETI

02\_28 v.1 Exempla legi, quae Furias quoque  
 2        terrere possint, factaque februis  
 3        purganda nullis : quae nec ipso  
 4        eluat Oceanus profundo.  
 5        Credetis ? Eheu ! credite vatibus  
 6        verum locutis Francia, Francia,  
 7        testante Rosseto theatrum.  
 8        Heu ! tragicum patefecit orbi.  
 9        Aegysthus illuc plurimus ambulat :  
 10        cumque impiata Byblide Salmacis.  
 11        Adsunt Clytemnestrae et timendo  
 12        Phaedra rubens odiosa fletu,  
 13        plus quam novercae femineis proci  
 14        mutant viriles endromidas stolis.  
 15        Reperta Bellonae ministra,  
 16        usque adeo piceata Phryne

17 arsisse Galli corpus adulteri :  
 18 ut moecha nullis conditionibus,  
 19     vel arte divelli, minisque  
 20     tristibus, interitque posset.  
 21 Amore qualis percita funebrem  
 22     In arce Dido disposuit pyram : et  
 23         crudele desperata risit,  
 24         seque dedit super ipsa vivam.  
 25 Patranda si sunt crimina, strenuis  
 26     hic sexus armis praestat Amazonas.  
 27     Virtutis in caussa liquescit  
 28         molle genus, tenerique ceram  
 29         praetendit aevi. Proh scelus et pudor !  
 30     Daturne leno matris avi gener,  
 31         rivalis extincti parentis  
 32         non solito stimulatus igni  
 33         aenigma quidem progenuit novem,  
 34         nulloque certos nomine liberos  
 35         discriminari, nupta fratres,  
 36         nupta sibi peperit maritum.  
 37     Quid viva miror corpora turpibus  
 38         arsisse flammis, ipsa cadavera  
 39         (proh luxus inversique mores !)  
 40         polluit in tumulis libido.  
 41     Jam vera priscis adstruitur fides  
 42         et certa monstris quo fugis Oedipe,  
 43         ignare lucis ? Quo tenebras.  
 44         Et mediae duo frustra mortis  
 45         portas, abactis solibus, audias  
 46         invitus istud, pessimus omnium  
 47         audire nequiquam mereris :  
 48         nec scelerum tibi palma danda est.  
 49     Superbus errore, ambitiosius  
 50         tua eruisti lumina : ceu palam,  
 51         virtutis occisae triumphum  
 52         nequitia potiore ferres,  
 53         invisus aethrae. Sunt alibi quoque  
 54         Jocasta, Laius, Sphinx Eteocleos  
 55         Irneque et enses ipse Cadmus  
 56         vivit adhuc aperitque Thebas.  
 57     Fuso cadentum sanguine nascitur  
 58         armata messis. Flebile praemium  
 59         plerumque fatalis duelli,  
 60         heu, mulier sedet una campo !  
 61     Huic saeva tauri praelia mugint :  
 62         nec ante cessant rumpere cornua,  
 63         quam victor exsultans repulso  
 64         compare, bos habeat juvencam,  
 65         haec intueri te rear, aureum  
 66         Cum, Luna, vultum nubibus exseris.  
 67     Noctu verecundis ab astris.  
 68         Certa fides, etiam minores  
 69         claudi fenestras, ne videant, probra.  
 70         Ex quo retraxit sol volucres equos.  
 71         Spectare prandentem Thyesten  
 72         territus, ac thalamos Mycen ?  
 73         Nec Stella porro talia cernere  
 74         Vestalis audet. Saepe tamen poli

75           nutant, et obliquata toto  
76           sidera contremuere coelo.

## AD MATREM VIRGINEM

02\_29   v.1   Cedo : quid refert, ubi me reponam ?  
 2           Verba cui mandem Mariana campo ?  
 3           Naribus doctis satis est litatum  
        ture latico  
 4           ne tamen furtim, metuensque probri.  
 5           Dicar inversis abiisse signis ;  
 6           hic palam supplex, manibusque puris  
        rite precabor.  
 7           Diva, quam nostris utinam medullis,  
 8           torta per nimbos ab amoris arcu  
 9           cuspis inscribat, volitante penna, et  
 10          sanguine tincta !  
 11          Si tui nobis, bona Virgo, quidquam  
 12          dulce vel carum, tibi vero nostri :  
 13          si piis gaudes precibus clientum  
        cerea flecti :  
 14          verge manantes oculos olivo,  
 15          aspici lenis ; niveasque grati  
 16          Luminis stillas, placideque totam  
        annue Matrem.  
 17          Mota, ni fallor : trepidavit ara,  
 18          auxili sedes. Caput, ecce, Nymphae  
 19          largius vibrat, radiisque pulchrum  
        sternuit omen.  
 20          Succuti visae mihi ter comarum  
 21          fusiles palmae : quater ante pectus,  
 22          caerulum nodo cohibens amictum  
        risit achates.

## AD MAXIMUM CAMPIANUM, MAGISTRATUS ROMANUS

02\_30   v.1   Admote sacris, Maxime, fascibus,  
 2           clamante Jano, disce potentiam  
 3           condire Romanam benignis  
 4           moribus ingenioque nostras  
 5           decente leges. Si quibus imperas,  
 6           his et minorem te geris ; imperas.  
 7           Elata frons et plena fastu  
 8           ruga, subest ; animumque vilem  
 9           invita prodit. Tum vigil excuba,  
 10          nec jacta ventis in scopulos ruat  
 11          Syrtesque navis. Quod monebit  
 12          in Siculo Palinurus alto.  
 13          Torquere clavum puppibus additus,  
 14          raro quiescat : saepe tamen sinet  
 15          Dormire proram. Sudat, alget  
 16          verus honor, reperitque semper  
 17          curas vel affert. Proxima pectori  
 18          compone primum, teque recollige

19        nulloque compones labore  
 20        membra tui sociata regni.  
 21        Servit superbe, qui sibi subdere  
 22        nescit, quod ipse est tot dominos habet,  
 23        quod mentis errores potestas,  
 24        debilior nimio sit usu.  
 25        Legem rogabis ; quid jubeas, vide ;  
 26        et primus exple. Regis enim pedem  
 27        plebeius a tergo sequetur.  
 28        Bella, suo praeeunte miles  
 29        ductore, promptus fertur in omnia.  
 30        Numquam coloni tota bipennibus  
 31        vineta stravissent, securim  
 32        ante tuam, metuende Baccho,  
 33        Lycurge, visam consilium monet,  
 34        exempla cogunt sic tibi subditi  
 35        soleret explora recessus ;  
 36        ne metuas tamen ipse toti  
 37        patere mundo certius eminet  
 38        in corde Virtus, et proprio sinu  
 39        inventa ; quam quaerenda multis  
 40        gaza latens aliena lustris.  
 41        Mihi cruentam, mollem aliis manum  
 42        praebere et omnes blandius alloqui.  
 43        Laudabor, ex aequo modesti  
 44        officio sapientis usus.  
 45        Sin delicato mollis in otio,  
 46        mandem labores Herculis alteri :  
 47        cogam fatigatos sitire,  
 48        ipse bibam, velut Afra serpens :  
 49        non exstet usquam bellua tetrior.  
 50        Rerum potentes tollite barbarum  
 51        morem ; verecundosque nobis,  
 52        ac faciles reserate vultus.

#### OLEUM TAUMATURGUM DIVI IGNATII LOIOLAE IN TEMPLO SANCTI MICHAELIS

02\_31    v.1        Ignatianae, Gloria lampadis,  
 2        altrix sereni, qua rear arbore  
 3        fluxisse mirandum liquorem :  
 4        cui medicas scit anhelus aeger  
 5        innare vires. Tu miseris salus  
 6        inempta luces tu rigidas manus,  
 7        pedesque fractos et stupentem  
 8        dulce foves animasque nervum,  
 9        quos obsoleti squamea sideris  
 10       pupilla grata destituit die.  
 11       Abstergis ; exemptoque fungo  
 12       imbuis, irradiasque noctem.  
 13       Auditur et qui non prius audiit.  
 14       Tu viva morti funera subtrahis,  
 15       laevasque praegnantum dolores,  
 16       et facilem sivis ire partum.  
 17       Radice quamvis ex oleagina,  
 18       sincera glaucae filia Palladis  
 19       non hos in usus bacca fudit :

20 obsequii tamen altioris  
 21 sortitus usum, cuncta supernatas  
 22 humana : postquam te proprium suae  
 23 Loiola secrevit lucernae,  
 24 et pretium sibi dedicati  
 25 irrorat ignis. Se pugilum licet  
 26 ceroma jactet, vivaque balsami  
 27 virtus, odoratumque nardi  
 28 unguen, Achaemenique costi ;  
 29 aut quidquid herbae ros Clymeneiae  
 30 a sole dicit : tu quoque mitium  
 31 diceris humorum, et potentes  
 32 Hippocratis superare succos.

## AD D. VIRGINEM AUXILIUM CHRISTIANORUM

02\_32 v.1 Pulchrior Luna coeunte Virgo :  
 2 cujus in nota statione vultus  
 3 astra respirant, metuuntque pelli,  
 4 fessa laboris.  
 5 Ante quam te quis fidei dolosus  
 6 deserat, quamvis Phalaris juberet ;  
 7 expedit vivae cineres opertos  
 8 tangere flammae.  
 9 Expedit, raucae patulis Maleae  
 10 faucibus mersum, sub hiulca ferri :  
 11 aut feris cinctum canibus Sicanam  
 12 pascere Nympham.  
 13 Orbis immanem sine te ruinam,  
 14 diva, momento periturus uno  
 15 duceret, nostris pedibusque tellus  
 16 hisceret ima.  
 17 Tu reo demis scelerum catenam.  
 18 Nube tu celas nivea nocentes :  
 19 Filii fulmen rapidum morari  
 20 callida Mater.

## CHOREAE MORTUALES.

02\_33 v.1 Saltemus : socias jungite dexteras.  
 2 Jam Manes dubius provocat Hesperus.  
 3 Per nubes tremulum Cynthia candidis  
 4 lumen cornibus ingerit.  
 5 In lodice senes non bene pendula,  
 6 In ferruginea cyclade virgines :  
 7 sed picta violis grex tenet instita.  
 8 Alternos facimus pedes.  
 9 Hic et Pontificum ture fragrantibus  
 10 rus pastoris olens pileus infulis,  
 11 et regum Tyriis paenula vestibus  
 12 miscentur sine nomine.  
 13 Nullus de tumulo sollicitus suo  
 14 aut pompea titulis, invidet alteri.  
 15 Omnes mors variis casibus obruit.  
 16 Nullo nobilis ordine.

17 Nobis nostra tamen sunt quoque sidera,  
 18 sed formosa minus sunt Zephyri, licet  
 19 veris dissimiles auraque tenuior,  
 20 cupressisque frequens nemus.  
 21 O dulces animae, vita quibus sua  
 22 est exacta nigris sternite floribus  
 23 quam calcamus humum : spargite lilia  
 24 fuscis grata coloribus.  
 25 Aptos ut choreis inferimus pedes !  
 26 Ut nullo quatitur terra negotio !  
 27 Dempta mole leves, et sine pondere,  
 28 umbrae ludimus alites.  
 29 Ter cantum tacito murmure sistimus.  
 30 Ter nos Elysium vertimus ad polum,  
 31 ter noctis tenebras (stringite lumina)  
 32 pallenti face rumpimus.  
 33 Nos quicumque vides plaudere Manibus :  
 34 cantabis similes tu quoque nenias.  
 35 Quod nunc es, fuimus. Quod sumus, hoc eris.  
 36 Praemissos sequere, et vale.

## AD WERNERUM NUSIUM STOICUM. GAUDIUM SAPIENTIS.

02\_34 v.1 Quis ergo felix, si sapiens miser  
 2 diis talis ipsis invidiam movet.  
 3 An pauperem dicemus, ausum  
 4 triticea saturum polenta,  
 5 et caule, mensas, spernere regias  
 6 quanquam ille solus prandet in angulo :  
 7 habere convivas fabarum  
 8 nemo magis queat obsequentes,  
 9 fidosque naturam et stomachum, et famem  
 10 et quae Voluptas nascitur e penu  
 11 inempta non longe petita  
 12 fruge supervacuoque sumptu.  
 13 Mens lactis instar candet et intimo  
 14 fulgore vibrat dulce suo sapit  
 15 In fonte rivus. Gratiora  
 16 vite fluunt generata vera  
 17 quam facta pomis vina, vel nescio  
 18 expressa Baccho. Laetitiam quoque  
 19 In corde, vitalique natam  
 20 dulcius experiere cella,  
 21 amice Nusi. Quae levis extimis  
 22 natat labellis, in nebulae modum,  
 23 maerore non solvit bidentem :  
 24 vixque gulam subit et recedit,  
 25 severa durant gaudia : fictilis  
 26 In ore risus frangitur hydriae  
 27 ritu, fatiscentisque testae,  
 28 saxa super putealis orae.

## DIRAE. IN CATARRHUM.

02\_35 v.1 Sentina vitae, terrigenum lues :  
 2       seu te gravantem Cerberus exspuit  
 3        triceps, et allatrate raucus :  
 4        seu Phariae crocodilus Algae  
 5       flevit, propinquo latus in hospite :  
 6        seu viperinas miscuerunt jubas,  
 7        unoque certatim palustre  
 8        Eumenidum chorus ejulatu  
 9       risere monstrum : labere, rumpere  
 10      innata pestis rumpere carnifex.  
 11       Viscosa pulmonum teredo, et  
 12       pernicies, Erebique spuma.  
 13       Quid in poetas immeritos furis  
 14       heu ! praedo vocis ? Nos graciles sumus,  
 15       Genusque divum, nil caducis  
 16       imbribus, aut humili pruinæ.  
 17       Ferruminanti corporis osseus  
 18       macerque debet pinguibus ingruat  
 19        limosa tempestas, et Austri  
 20        proluvies mala tussientis.  
 21       Illis supremum dic adeo diem  
 22       Mortis satelles. Scilicet audior !  
 23        Grassatur in memet, vel intus  
 24        stare tenax, vel aquosus ire  
 25        humore lento per cava faucium, et  
 26       ludit medentes. Quot videas viros.  
 27        Ab exsecrata labe tactos,  
 28        lassa solo posuisse colla !  
 29        Dum cymba vitae se juvenilibus  
 30       remis adurget, jam ferus irruit  
 31        pirata, detorquetque proram  
 32        gutturis, Oceanoque mergit.  
 33       Frustra timemus jam mare naufragi  
 34       terris futuri funeribus tument  
 35        portus sepulcrales et omnis  
 36        fossa suum queritur Catarrhum.  
 37       Te semen Orci sidere pessimo  
 38       pomum nefandæ prodidit arboris :  
 39        tu pejor hydrops, vincis atrum  
 40       virus equae graviore Leto.

## AD SOMNUM. CUM INSOMNIA LABORARET.

02\_36 v.1 Mansuete Mortis frater, eburneae  
 2       dynasta portæ : non nisi palpebra  
 3        labente, tranquillasque clausis  
 4        per tenebras oculis vidende.  
 5       Curas potentem demere mentibus,  
 6       o somne, ramum certius admove :  
 7        et hinc et hinc perfunde tempus  
 8        rore, soporiferaque virga  
 9       tu numen almum, mitibus influis  
 10      succis in artus. Tu grave taedium  
 11      abstergis, instaurasque vires

12 mane recens habiles labori.  
 13 Jam laetus ignes elicit Hesperus :  
 14 jam nox ephebos ordinat aetheris  
 15 In agmen, et Phoebo sororem  
 16 substituit propiore curru.  
 17 Jamque in pharetras plumigeras avis  
 18 arguta vocis tela recondidit :  
 19 glebisque lassati terendis  
 20 curva boves referunt aratra.  
 21 Stat mutus Orbis grata silentia  
 22 exhalat aer. Me tamen unicum  
 23 quietis expertem fatigat  
 24 triste dolor, piceaeque fesso  
 25 haerere curae, quid, placidissime  
 26 divum moraris ? Si tua vel volens,  
 27 vel irretorta fronte sprevi  
 28 dona sciens ; (neque enim recordor)  
 29 poenas scelestus jam meritas dedi.  
 30 Placate tandem, Somne, revertere ;  
 31 et innocentis sparge Lethe  
 32 irriguos vigilantis artus,  
 33 effunde plenis frigora cornibus,  
 34 mittique siccum lumen inebria  
 35 Caelo, reclinatumque corpus  
 36 Ossa super line dormientis,  
 37 sed absque rhoncho. Sic tibi Tarquini  
 38 parcente dextra, plura papavera  
 39 crescant in hortis, sic opacet  
 40 silva caput, chlamydemque et arcum  
 41 Natura blandis repleat otiis.  
 42 Sic illud antrum, cui Deus incubas,  
 43 non turbet umbrarum caterva  
 44 tristis, Atlantiadesque ductor.  
 45 Sic nulla crudi flamina murmurent.  
 46 A peliotae : nulla tonitura,  
 47 stridensve nocturnae volucris  
 48 penna sonet penitusque septas  
 49 offendat aureis : sed fuga rivuli  
 50 per prata gratum mobilis obstrepat ;  
 51 et lenis audiri susurrus  
 52 sub platano trepidantis Aurae.  
 53 Proh vota ! cujus damnor inertiae !  
 54 Totus labasco : vix lubet hiscere :  
 55 piget moveri, sella lectus  
 56 esto : puer, citharam repone.

## AD CL. VIRUM DOMITIUM BASCAUDUM STOICUM

02\_37 v.1 Non quantum, Domiti, nec quid in omnibus  
 2 possessis habeas ; sed quibus arbiter  
 3 qualecumque diotam  
 4 ornes usibus, interest.  
 5 Usu gaza pater pessimus optimam  
 6 in damnum jugulat : nec patitur suae  
 7 infelix bona sortis,  
 8 gratas spargere copias.

9        Seu Fortuna neget ; seu det, ut auferat ;  
 10      ex magnis opibus nil juvat improbum :  
 11        exaudita nocebunt  
 12        votis numina prosperis.  
 13        Hunc nec forma decet : nec titulis Honor,  
 14        nec Bellona bono sospitat omine.  
 15        Et, si laurus obumbrat,  
 16        perdit continuo comas.  
 17        Qui turpi maculat crimine sanguinem,  
 18        In Croesi solio pauper habebitur.  
 19        Regem et purpura faedat :  
 20        quae bis tincta, bis arguit.  
 21        Sceptrum non aliter, quam Stygius gerit  
 22        contum, lenta secans flumina portitor.  
 23        Pondus nobile mitrae  
 24        indignum caput opprimit.  
 25        Eunuchum faciat Gloria consulem  
 26        fasces ipse suo tergore conteret ;  
 27        et torquata suimet  
 28        franget colla securibus.  
 29        Haustu. Crasse jaces ebrius aureo.  
 30        Vindex Hannibalem perdidit annulus :  
 31        et nolens bene perdi  
 32        clarum gemma Polycratem.  
 33        His, Alberte viris annumerabere ;  
 34        bellorum vapor, ac foeda catastrophe !  
 35        Fortunae pila quondam, et  
 36        magni fabula nominis.  
 37        Implementum tumidis ambitionibus !  
 38        Sejani stadium, nempe et equus tulit  
 39        Sejani properatis  
 40        collapsus male passibus.

## PANEGYRICON DE LAUDIBUS VIRGINEAE MATRIS

02\_38   v.1        Quam mihi sumo celebrare Nympham ?  
 2        Hanc mihi sumo sine labe Nympham :  
 3        quae malum culpae genialis et con-  
 4        cepta triumphat.  
 5        Exsulis primi procul este Dirae.  
 6        Ante Naturae Chaos evolutum,  
 7        ante libratam statione terram  
 8        pura refulsit.  
 9        Ante quam Titan volucrem domare :  
 10       sciret Aethonem ; teneroque plena  
 11       fratre signaret redimita Phoebe  
 12       tempora cornu.  
 13       Alta se nondum juga surrigebant :  
 14       nec cavae valles, famulique clivi  
 15       pone lambebant dominis cadentes  
 16       montibus umbrae.  
 17       Nullus undanti vaga monstra freno  
 18       Nereus cingens cohiebat aequor :  
 19       nec maritali Thetis uda lucta-  
 20       batur in alga.  
 21       Cum Deus pictas per inane caeli

22 tenderer pelles, radiisque densos  
 23 stringeret villos, radiata jussos  
 24 astra vocari.  
 25 Ipsa tum stellis, Gedeone clarum  
 26 vellus admovit, simul ipsa rerum  
 27 adsit fabro, removere nigram  
 28 candida noctem.  
 29 Dicitur vastos speculata campos,  
 30 barbaro vectes posuisse ponto.  
 31 Dicitur ruptis ab inhospitali  
 32 rursus Adamo ;  
 33 dexteram nato moderante, lora  
 34 semper aequali tenuisse cursu :  
 35 et supra noxam male fluctuantem  
 36 signa tulisse :  
 37 quando confusis tumuere nimbis  
 38 claustra terrarum, pelagique ruptum  
 39 foedus, et toto latuit profundo  
 40 naufragus Orbis :  
 41 una communi procul a ruina,  
 42 nescio mergi fabricata ligno,  
 43 montium pinnas super et cacumen  
 44 arca natavit.  
 45 In rubro nullis temerata flammis  
 46 Mater, illaesas rutilare frondes  
 47 jussit, et lumen viridi pudicum ac-  
 48 cendit in auro.  
 49 Virga Jessaeo generata fundo  
 50 fraxinos inter tamen absque nodo :  
 51 inter et quercus, tamen absque duro  
 52 cortice surgit.  
 53 Servat exemptum caput, et perenni  
 54 flore conclusus decoratur hortus.  
 55 lilium spinas negat inter ullo  
 56 pollice capri.  
 57 Omnibus lex sit metuenda mortis  
 58 laeta : sed non est nocitura sponsae  
 59 regis Assueri latitans in angue  
 60 pendeat Ammon.  
 61 Filiae sacri graciles Sionis,  
 62 ite spectatum niveam videri,  
 63 ite reginam liquido coruscat  
 64 semita passu.  
 65 Vos quidem multas studiosa gemmas  
 66 turba legistis, celebremque mundum :  
 67 sed latet major penes hanc repostae,  
 68 Gloria gazae.  
 69 Quaeque dispersis sibi sola fulget ;  
 70 ista collectos micat inter ignes,  
 71 praenitens cunctis ; Superumque prodit  
 72 publica cura.  
 73 Dente non uno facies, nec unguis  
 74 in manum peccet, minimusve naevus  
 75 tota formosa est, maculamque nescit,  
 76 tota decora.  
 77 Plurimae, zona renuente solvi,  
 78 virgines circa glomerantur agnum :  
 79 una dilecta est, thalamique consors,

## ENTHUSIASMUS. IN COEMETERIO CONSIDERANTIS MORTEM, AC FUNCTORUM OSSA.

02\_39 v.1 Ut se feroceſ denique litori  
 2 stravere fluctus ! compositis minae  
 3 velis, et humani modesto  
 4 aequore detumuere fastus !  
 5 Marcent quieto cuncta silentio.  
 6 Non ira venti, non sonus imbrium  
 7 auditur in portu profundo  
 8 monstra jacent maris ipsa somno.  
 9 Huc illa demum spuma superbiae,  
 10 frangenda tristes ad scopulos cadit.  
 11 Huc pompa tempeſtatis acta.  
 12 In medio crepat, et solutos  
 13 effundit utres protinus omnia  
 14 injuriarum flamina concidunt :  
 15 subsidit aularum procella,  
 16 et tumor, invidiaeque gurges.  
 17 Quid simus eheu ! sola tacentibus  
 18 Mors muta nobis, atraque candide  
 19 fatetur, ac demonstrat : hoc est  
 20 omnis homo, cinis atque pulvis.  
 21 Omnes subimus non revocabile  
 22 debere Fatum. Serius, ocius,  
 23 ut quemque dicit, vel rebellem  
 24 attrahit, imperiosus ordo,  
 25 Manes sub unum cogimur atrium.  
 26 Diu timemus, quod cito desinit,  
 27 et stamus in casum repenteſ,  
 28 nascimur, ut moriamur orti.  
 29 Vitae sub ipso nomine Mors latet.  
 30 Vix major annos impulit, et puer  
 31 se mactat infantem : tenellus  
 32 dum tenero sibi cedit ipsi.  
 33 Pellit juventus laeta puertiam,  
 34 praetexta rallam. Vir juvenem necat  
 35 crescente barba : quam senectae  
 36 jam nimia madidam pruina,  
 37 unaque mentum demetit Atropos.  
 38 Sic et rapinam vivimus, et fugam,  
 39 nostri latrones et prioris  
 40 usque gradus spatique fures,  
 41 ac curiosi in secula transfugae :  
 42 qui semper aetatem induimus novam ;  
 43 ipsique numquam et semper ipsi,  
 44 Inque dies alii, sequente  
 45 mutamur hora, vertere, vertere,  
 46 formose Proteu : cum faciem Deo  
 47 jubente pones, adque galbas  
 48 veneris auriculis carentes :  
 49 deformis unum Larva teneberis  
 50 servare vultum pauperis ibici.  
 51 Non hic lupinis aera distant,  
 52 non validaſ scapha parva navi.

53 An sis vetusto nobilis ab Lamo,  
 54 an usque prisco dives ab Inacho,  
 55 hiems an aestas ; infidelis  
 56 scilicet hoc Libitina curat !  
 57 Quae dextra sceptrum, quae fuerit ligo :  
 58 quae falx et ensis : forcice quod caput  
 59 rasum, coronatumve gemmis,  
 60 unde sciam ? Jacet incubantum  
 61 confusa strages, non roseus color  
 62 sublucet ulli, non cutis extima.  
 63 Ut stante Cauro, tota vernis  
 64 silva comis viduata moeret.  
 65 Discrimen hoc quod cernimus, unicum  
 66 est esse nullum. Cujus enim genae  
 67 pinguntur ostro ? Quae polito  
 68 frons ebori nivibusque certat ?  
 69 Quis crine vertex, quae violis comae  
 70 ornantur ? Eheu ! Non oculi micant  
 71 fulgore nativo ; nec usquam  
 72 flamma domi. Latebras amoris  
 73 scrutata serpens, Idalios cavo  
 74 exhausit igneis. Vah specus horrida,  
 75 truncaeque nares : vah ruina !  
 76 Oris hiat lacerata sepes,  
 77 gingiva linguae stirpitus erutae.  
 78 Praedator hortum vermis edentulum  
 79 vastare repit. Vah palati,  
 80 a colubris jugulata radix !  
 81 Ergone tanti forma fideliae  
 82 censeris albae, cretaque putrium  
 83 fallax puellarum, et caducis  
 84 allita fraus speciosa malis !  
 85 Labore quanto femina comitur,  
 86 solvenda in atras denique viperas ?  
 87 Licet venustatis canorae  
 88 in speculis radietur echo,  
 89 suamque praesens quaerat imaginem  
 90 absentis instar ; dumque reflectitur,  
 91 irritet aspectu placentis :  
 92 non potitur tamen ipsa semet.  
 93 Adeste ; quarum vivere, nil agit  
 94 praeter videri splenia certius,  
 95 et lac asellarum, pudendae  
 96 functa sua simulacra vita.  
 97 Fronti admovebunt : turpe rigentibus  
 98 ventosa rugis calva medebitur :  
 99 legem capillis calva ponet.  
 100 Musa files ? ubi me relinquis ?

AD JODOCUM WERNERMANNUM. QUOMODO SPERANDUM.

02\_40 v.1 Qui spei sese nimis obsequentem  
 2 praebet ; aut servit miser, aut, Jodoce,  
 3 serviet. Malim mediocritatis  
 4 ferre tenorem.  
 5 Prodigus mentis, super omne litus

6 fertur, et largis fluit usque votis :  
 7 cautior sistit, sapiensque ripae  
 8 alligat amnem.  
 9 Ille vult magnus nimiis haberi  
 10 rebus. Hic, rerum quia plenus usu,  
 11 sobriam mentem modicis coercet,  
 12 major habetur.  
 13 Pectoris fluctus, et utramque liber  
 14 temperat sortem, paribusque miscet.  
 15 Quae dari poscit, sibi novit idem  
 16 posse negari.

## AD D. VIRGINEM SALUTEM INFIRMORUM. CUM AUCTOR FEBRI TENTARETUR.

02\_41 v.1 Mater salutis, tempus in ultimum  
 2 mansura mecum ; quo mediam dies  
 3 inclinas in noctem : tepenti  
 4 pelle nocens stomacho venenum,  
 5 aegrique tabem corporis igneam.  
 6 Jam flamma mixto contremuit gelu :  
 7 jam frigus alternans calorem,  
 8 excubias vice plus quaterna  
 9 mutavit. O quae diceris omnium  
 10 amara morborum eluere efficax :  
 11 si non mei, laudanda saltem  
 12 Virgo tui miserere vatis.  
 13 Quid in propinquo concinit angulo ?  
 14 An sponte motae sunt citharae fides ?  
 15 An febris immigravit illi ?  
 16 Atque ideo lyra palpitate !  
 17 Audita filis acre trementibus !  
 18 Amplexor omen : prosilio toro,  
 19 si nec vacillanti labat pes :  
 20 signa patent manifesta rerum.

## AD HERNICUM BRANDINUM ASTROLOGUM. IRRIDET GENETHLIACOS.

02\_42 v.1 Hernice, dic per omnes  
 2 te precor stellas : mihi cur hydrochoum minaris ?  
 3 Quis Deus alligavit  
 4 liberam mentem rapidi legibus, ede, caeli ?  
 5 Scilicet alba frontem  
 6 Luna vel pallens, cerebro terrigenum molesta  
 7 certius imperabit,  
 8 quam sibi praesens animus ! Num, quoties replevit  
 9 plenior ora furtim  
 10 igne fraterno, pariter me reparare macros  
 11 coget opaca vultus,  
 12 mollium pulpa leporum ; vel Numida volucri,  
 13 vel petasone rapto ?  
 14 An velut murem catus, et bos vitulum, minaci  
 15 Cynthia jactat Orbem  
 16 hinc et hinc cornu ? Sed enim cur timidi sub astro  
 17 armipotente Martis

18       saepe nascuntur ? Stolidi, sub bene litterati  
 19               Arcadis et rapaces,  
 20       sub Jovis signo ? Neque si quem Venus alma natum  
 21               viderit ex Olympo ;  
 22       urget infantem facibus continuo petulcis.  
 23               Jus animo suum stat  
 24       semper immotum, super altam Babylona vecto.  
 25               Displacet ista faecis  
 26       turba Chaldaeae, rabidi cede senex Anubis  
 27               liniger, et sacerdos  
 28       Isidis. Nullum mihi Fatum potes explicare.  
 29               Sola fames magistra  
 30       fertur hanc artem malesuadi reperisse ventris :  
 31               callida deinde Memphis,  
 32       siderum motus, numeris et radio notatos  
 33               disposuisse frustra.  
 34       Si meum, divaeque sibi consona Nazarenae  
 35               (dent superi, quod opto)  
 36       astra conspirant : satis est, tunc ego, seu Syenen  
 37               Carcinus igne torrens ;  
 38       seu minax cauda feriat Scorpius expedita :  
 39               seu Capricornus, Horae  
 40       vendicet natalis aquam. Frigore congelatam :  
 41               risero suspicacem  
 42       Hernicum tunc nec Lycius, nec Petosiris obsit.

## NERONEM CAESAREM, INSATIABILE OMNIUM CUPIDITATUM MANCIPIUM

02\_43   v.1   Laxare quisquam frena libidini  
 2       vel post Neronem pessimus audeat ?  
 3       Favore fortunae secunda  
 4       cui nimium tumuere vela  
 5       felicitatem ni timeat, potest  
 6       timere id ipsum. Parce frequentibus,  
 7       regnator, indulgere votis.  
 8       Aeolio preme monte ventos ;  
 9       et spes, et iras pectoris improbas  
 10      antro coerce. Quam miser est, sibi !  
 11      Nequam fidelis ? Qui negate  
 12      est animo nihil ausus umquam !  
 13      Testatur annis pejus euntibus  
 14      triforme monstrum : quale nec Arcadum  
 15      Stymphalus olim, nec tremendus  
 16      fulmineis Erymanthus apris,  
 17      scatensque Lerne, nec Nemee tulit.  
 18      Si summa noxae quaeritur ultimae :  
 19      occidit, inspexitque Matrem :  
 20      si mediae leviora vitae ;  
 21      nupsit puello. Diluit hoc probrum,  
 22      duxit spadones. Nulla cupidinis  
 23      intacta permansit sagitta,  
 24      nulla Venus ; satiata numquam.  
 25      Quam saevus idem ! Jus sceleri datum  
 26      non flexit aetas, non viridis decor.  
 27      Lanugo, cani, barba, stricto  
 28      carnificis cecidere ferro.

29 Quicumque dives, jam fuerat reus.  
 30 Decussa luna est patritio pedi.  
 31 Repente mutavit colorem  
 32 Ausonio stola mixta clavo.  
 33 At o tyrannum cernite pauperem !  
 34 noctu lucernis ac facibus caret.  
 35 Paratur illi coena, certe  
 36 non alias habitura taedas,  
 37 quam Christiano de grege corpora,  
 38 accensa torti sulphuris in modum  
 39 Stant ante mensam. Guttur unco  
 40 frigitur et digit i reluent,  
 41 unctique crines, ac piceum caput.  
 42 vivus flagrando cereus ingemit :  
 43 fumoque pinguis lacrimoso  
 44 stillat adeps statuae rogalis.  
 45 Caesar querenti lumine pascitur,  
 46 gavisus, eheu ! nubila torridis  
 47 stridere candelabra membris.  
 48 Hoc epulum sapit : his Cometis  
 49 monstrata laetus fercula corripit,  
 50 ac vina libat, non Hyperionis  
 51 praeponat, admotamque Phoebes  
 52 lampada flebilibus pyropis.  
 53 Sint haec jocosae plena ferociae :  
 54 magistra quaenam de Furiis tribus  
 55 crudele venantis Neronem  
 56 edocuit studium Diana ?  
 57 Homo sub ursae pelle Libystidis  
 58 eviscerandas assimilat feras :  
 59 fit cervus Actaeon, fit urus,  
 60 praeda canum, populi que risus,  
 61 stat fossor Isthmi ludicus, et truces  
 62 efflat cachinnos. Sed miserabilis  
 63 uxor domi Poppaea plorat,  
 64 vulnifici pedis icta calce.

## AD VIRGINEM DEI MATREM. PRO SERENISS. PRINCIPE FERDINANDO MARIA

02\_44 v.1 Nam quid vetabit, quo minus offeram  
 2 tibi puellum ? Non adimo suae  
 3 Matri : sed insontem foveri  
 4 praesidio melioris opto.  
 5 Admitte pignus, Mater amabilis,  
 6 et prima vitae flecte crepuscula :  
 7 ut flos tenellae lucis halet  
 8 in gremio redolentis Horae,  
 9 tuique Nati ludat imagine.  
 10 Tum crescat ore et fronte meridies ;  
 11 venneque spiranti sereno  
 12 dulce tremant ; seniique vesper  
 13 purae quietis provehat otia.  
 14 Cor urat aestas : ver animum, genas  
 15 Autumnus, albentique pingat  
 16 virgineam nive bruma mentem.

## AD MAURITIUM ROSAM TRIBUNUM BELLI.

02\_45 v.1 Qualis intranti, Rosa, nudus orbem,  
 2 talis exibis : propior nocenti  
 3 hoc tamen furi, rapies sub umbras  
 4 lintea tecum.  
 5 Et vacas lucris, et adhuc recentem  
 6 adicis praedam veteri rapinae !  
 7 Nec tuum sentis opibus malignis  
 8 crescere damnum ?  
 9 Quidquid accessit cumulo priori,  
 10 demitur menti. Minuit cupido  
 11 parta, non auget. Petis esse dives ?  
 12 Abice merces.  
 13 Non nocet nullas habuisse gemmas ,  
 14 clamat ad stivam residens Arator ;  
 15 consul agrestem subito vocatus  
 16 ante juvencum.

## AD LUCAM FERONIUM NICOLAI FERONII FI. [ABBR.: FILIUM]

02\_46 v.1 Ceras aviti stemmatis indices,  
 2 et plena fractis atria vultibus,  
 3 barbamque majorum, Feroni.  
 4 Parce tuis onerare noxis.  
 5 Ne monstra jactes in clypeo sacri  
 6 caelata Patris : neu grave tinniat  
 7 calcar, peregrinisque late  
 8 icta sonent orichalca stellis.  
 9 Quid belluarum nomina fortium  
 10 mentimur orbi, si lepores sumus !  
 11 Frustra feroce magna pardos  
 12 scuta tenent, galeaque conum  
 13 crispant avitae fulmina gloriae :  
 14 Si non in Hunnos fulminei ruunt  
 15 pardi nepotes : si columbam  
 16 arguerint aquilae parentes.  
 17 Spondes Ulyxen : sis Briareus prius.  
 18 Repleta verbis Curia quem ferit ?  
 19 Mucrone linguae nullus hostis  
 20 transfoditur : nec acumen oris,  
 21 sed ensis olim straverit Hectora.  
 22 Quos nominamus degeneres, avi  
 23 venasque fibrasque, unde vitae,  
 24 pura dies animusque manat,  
 25 totumque Eoum pectoris ignei,  
 26 haurire torvis obtulerant Getis :  
 27 et caede facta, non inulti  
 28 Barbaricas secuere turmas !  
 29 Nos vero fortis strenua dicere,  
 30 patramus usu mollia. Cerei,  
 31 de ferreis narramus annis  
 32 praelia, Vandalicasque strages.

## AD IULIUM ORSTENAM. DE MORE UNGENDORUM CADAVERUM.

02\_47 v.1 Refert, scilicet, Orstena,  
 2 quo manes pretio sub tumulos eant  
 3 defossi : quibus oblinas  
 4 succis, et religes funera linteis ;  
 5 non sensura Canopici  
 6 heredis vacuam laude superbiam.  
 7 Clementes tenebras petit  
 8 Mors contenta loco quolibet. Angulus  
 9 jam regale Palatum est.  
 10 Quae Natura parit, functa recolligit  
 11 communi gremio ; neque  
 12 distinguit cineres Terra novissimos.  
 13 Trunco sex spatium pedum, et  
 14 cippus cum modico cespite, sit satis.  
 15 Luxum caetera barbarum  
 16 spirant, et nimiae frustra ferociae,  
 17 indignantia ferreis  
 18 Fatorum tabulis. Quid magis aspides,  
 19 et longam cupidi famem  
 20 invitet colubri ; quam capulo tenuis  
 21 uncta et lota cadavera  
 22 costumque et casiam, et malobathrum Syrus  
 23 membris imbibat omnibus :  
 24 pollinctumque super funebris India  
 25 plenis sumptibus ardeat :  
 26 Si non et pretio fama fragret suo,  
 27 frustra spargit amaracum.  
 28 Foetebit sub humo tetrius infulis  
 29 electantibus ostrea, et  
 30 Neptuni vomitum putris ab aequore.  
 31 Nasum cinnama non movent  
 32 in Sullae cineres jacta, nec efferunt  
 33 crudeles animas rogo.  
 34 Pauper Fabricius, quam Populi favor  
 35 alto pectore condidit :  
 36 et Brutus Deciis additus, et Cato,  
 37 gypsatusque Britanicus,  
 38 haud nardum redolent : turicremis tamen  
 39 praestant mille Neronibus.  
 40 Virtus et feretri nobile balsamum.

## AD SICILIANUM BOMBYCEM. MORIENDUM ESSE.

02\_48 v.1 Fatis aguntur terrigenae suis,  
 2 formose bombyx. Ortus, ut occidas  
 3 cum sole, cur primis repugnes  
 4 auspiciis, dubiamque reddas  
 5 necessitatem ? Quae tamen omnibus  
 6 corona rebus ponitur ultima.  
 7 Quod stas, quod is, quod vivis ? Hinc est :  
 8 quodque itidem morieris ; hinc est.

AD CASCIMUM GAMBARAM. CUM ILLI SUOS SCAZONTES AD SATURNALIA MITTERET.

02\_49 v.1 Scazonta servum cornipedum meum,  
 2 amice Casci, quem tibi destino  
 3 mandata laturum jocosa,  
 4 excipies, ut opinor, ore,  
 5 vultuque, qualem rusticus obtulit  
 6 Jovi Philemon. Ne tamen anxius  
 7 cogas fatigatum sedere :  
 8 mitte supervacuos honores.  
 9 Genus Stylitae est. Stat, nec ab hoc situ  
 10 discedit umquam. Sic quoque dormiet.  
 11 Sed mirus illi, flante bucca.  
 12 Oris inest animique candor.  
 13 Cretos eodem sanguine Bilbilis  
 14 habebat olim, cum strueret focum :  
 15 et Martialis fel amarae  
 16 incoqueret piperatus offae.  
 17 Quamquam iste noster simplicis eloqui  
 18 vitaeque purus malit, ut audies,  
 19 de gente Gazea videri,  
 20 Castalio satus Angelino.  
 21 Ut cuncta noscas, istud habet viti :  
 22 (immune nam quid sole super viti ?)  
 23 Ferocit irritatus instar  
 24 tigridis, asperior leone :  
 25 traxitque ab ipsis has furias avis.  
 26 Quandoque lato calce suum ferit  
 27 et me magistrum. Saepe flexi  
 28 in melius : rediere mores.  
 29 Natura quamvis vapulet, hoc erit  
 30 pulsata furcis, quod fuit antea.  
 31 Permitte scazontem vagari,  
 32 insita quo rapiet cupido.  
 33 Tunc obsequentem, Gambara, senties,  
 34 nec non creandis risibus utilem.  
 35 A tabe praeservat lienem.  
 36 Et nebulis cerebri medetur.  
 37 Ut proniores claudicet ad jocos :  
 38 porci triennis mane tomaculum  
 39 offer, remissurus Kalendis  
 40 Graiugenum, fugiente bruma.

LAUS POSTHUMA R. P. IACOBI KELLERI S. I. OLIM RECTORIS COLLEG MONAC...

02\_50 v.1 Ac si hodie videam : post tot mihi sisteris annos  
 2 flende piis, Iacobe, Camoenis.  
 3 Non obscura tamen, sed amabilis umbra recurris,  
 4 ac nulla ferrugine tincta.  
 5 Qualis eras olim nostras moderatus habenas,  
 6 sublimi venerabilis ore :  
 7 et liquida mentis perfusus imagine vultum,  
 8 et senii vivacior usu.  
 9 Publica cum regeres privata fronte retenta,

10                    curarum jucundus in aestu.  
 11                    Cum te non digitus tantum, sed tota probaret  
 12                    saepe manus regnare coactum.  
 13                    Judicii matura seges, penetrabile rerum  
 14                    ingenium doctique leporis  
 15                    miscebant aequale decus, prudentia pondus,  
 16                    et virtus afflavit honorem.  
 17                    Utque acies belli, se pretendebat in omnes  
 18                    consiliis mens lucida partes.  
 19                    Portus eras, Bavaraeque Pharos spectanda Carinis  
 20                    in pelago luctantibus aulae,  
 21                    utraque diffuso fluxit facundia fonte,  
 22                    Danubio Tiberique probata.  
 23                    Qui niveus canis, ac toto vertice cygnus,  
 24                    orantis quoque gutture sedit.  
 25                    Praesertim nostri prolati origine caeli,  
 26                    in nostram proclivior artem,  
 27                    verba catenabas regale sonantia gemmis,  
 28                    Pindarico succinctus amictu.  
 29                    Tu faciles solitus numeros dictare, meumque  
 30                    auspiciis stimulare calorem :  
 31                    audebas titulos et plenum laudibus aevum,  
 32                    et magnos promittere mensis.  
 33                    Te duce neququam dignati repere montis  
 34                    Aonii concendimus arcum,  
 35                    non lento passu : (neque enim tardare sinebas)  
 36                    sed volucri quasi fulminis ala,  
 37                    qualiter aerium Capaneus iter arbore mensus.  
 38                    Se victam super extulit urbem,  
 39                    stabas inferius, donec de rupe redisset,  
 40                    concussus praecordia Phoebo,  
 41                    ast ego, pendenti capite inter nubila, mersus,  
 42                    enavi peregrina viarum.  
 43                    Mox virgulta jugis, hederamque et laurea serta,  
 44                    et pennam de stante Caballo,  
 45                    fragminaque ex alto mecum Parnassia jeci ;  
 46                    ut scires superasse cacumen.  
 47                    Quo tunc amborum salierunt pectora motu,  
 48                    laetitia spirantia flamas !  
 49                    Sicut adhuc steteram, rigidumque horrore comatum, et  
 50                    aetheria fuligine sparsum,  
 51                    protinus in dulci sudorem abstergere Cirrha.  
 52                    Atque alio sudore jubebas.  
 53                    Accessere boni vultus super omnia et istis  
 54                    dona tuos imitantia mores :  
 55                    aut tuba cantatrix heroum, aut fistula pacis,  
 56                    et ruri testudo locuta.  
 57                    Heu mihi ! Quam longis a re nunc passibus itur.  
 58                    Euxini prope littora ponti.  
 59                    Nam postquam undantis cerebri te lubrica moles  
 60                    (praesagum tamen ante procellae)  
 61                    sustulit, et plenos ducis jam numine somnos ;  
 62                    lapsa ruit spes maxima tecum.  
 63                    Ad paucos chorus est Sueco Praetore redactus.  
 64                    Sub cultro stat gloria vatum  
 65                    quamquam Vandalicus tantum non obfuit hostis.  
 66                    Igne et aqua, ferroque minisque ;  
 67                    quantum hirsuta nocet multorum inscitia Musis,

68                    vastatrix vocalis amoeni.  
 69        Nomina cultorum Thebanis comparo portis ;  
 70                    plura tepens habet ostia Nilus.  
 71        Sunt, qui Pierides malint a stirpe recisas  
 72                    in Graium migrare sepulcrum.  
 73        Eloquio Latii praefertur barbara Memphis.  
 74                    Conjurant silvescere Fauni :  
 75                    quod nequeunt ipsi, reliquos prohibere parati  
 76                    ne pulchro certamine possint.  
 77        Interea, quidquid sacro de culmine restat,  
 78                    manibus his properare decorum.  
 79        Sterne, poeta, solo vestigia : funde coronas  
 80                    irrigua Permesside lotas.  
 81        Te virides luci, te Phocidos antra canorae  
 82                    fleverunt, o nobilis umbra.  
 83        Te sine Castalian metus est arescere lympham ;  
 84                    sicca vado tralucet arena.  
 85        Insuper et Daphne bis migratura timetur,  
 86                    atque alia mutanda figura.  
 87        Ad nomen tamen illa tuum, suspiria dicit,  
 88                    ac sese demittit amari.  
 89        Ipsi etiam subitis vestiti floribus amnes,  
 90                    incipiunt ridere per hortum.

AD SABINUM FUSCUM TYROLENSEM. INVITATUR AD CONTEMPLATIONEM RERUM CAELESTIUM...

03\_1    v.1    Sabine, matris pars melior tuae,  
 2                    signata grata, Fusce nigredine :  
 3                    haeremus halae ? Scande montes  
 4                    rumpe moras, et aprica mecum  
 5                    capesse mollis frena Favonii.  
 6        Jam rara vernis nubila solibus  
 7                    divisa cedunt et paventi  
 8                    aura levis monet ire caelo.  
 9        Simul capistrum Pegasus induit.  
 10      Terramque fixa percutit ungula,  
 11                    exsudat : et glebae rosarum  
 12                    puniceo rubuere Nilo.  
 13      Ne te retardet stare Copernici,  
 14                    aut Archimedis lambere pulverem.  
 15      Confunde arenas : scripta dele  
 16                    signa, Syracosiumque gibbum  
 17                    extende caelo quid vitrei juvat  
 18                    Atlantis usus ? Quid Siculi senis  
 19                    mentita crystallus Triones,  
 20                    Oceanum vetitos subire ?  
 21      Veros licebit tangere verius :  
 22                    lustremus axes nomen, et ordinem  
 23                    docebit astrorum, Thalia  
 24                    Uranie sociata nostrae.  
 25      Qua parte primum flectimus orbitam ?  
 26      Hac, qua frementi murmurat alveo,  
 27                    pontemque dedignatur Oenus :  
 28                    an niveo saturatus imbri  
 29                    qua flumen ingens Danubius vehit ;  
 30                    ut obsoletis, despice, cornibus

31       argutat obscurus latere !  
 32       Degeneris mala fata Rheni,  
 33       captumque moesto gurgite sordidus  
 34       deflet Brisacum. Totus inhorruit  
 35       en campus armis et minaci  
 36       nuda seges crepat icta ferro.  
 37       Ningitne, an albis aera liliis  
 38       Mavors inundat ! Stant Aquilae truces  
 39       ad signa, vindictamque stricto  
 40       armigerae meditantur ungui.  
 41       Sublime motis aura leonibus  
 42       percussa, rugit. Plena tument Noto  
 43       vexilla, crispanturque flexu  
 44       per refluos sinuosa gyros.  
 45       Hinc Belga pugnat miles Iberiae :  
 46       Hollandus illinc sulphure pectoris  
 47       accendit iras, et doloso  
 48       ambiguum coquit igne bellum.  
 49       Arctata vastis aequora molibus,  
 50       silvas, et urbes, et medio ferunt  
 51       Montes, Batavorumque classem  
 52       sollicitam maduisse Gange.  
 53       Hic Orbis ille est tantulus aspici.  
 54       Discordiarum causa recentium :  
 55       vah bruta deformisque tellus,  
 56       in minimum tenuata punctum !  
 57       At nos in altum provehimur. Placet  
 58       venti levantis grata protervitas.  
 59       Hac officina prodit aulae  
 60       Terror et exitium Cometes  
 61       vapore natus. Non procul excubant  
 62       fumosa multa fulmina pulvere :  
 63       pars furva mentum, pars retortas  
 64       rubra jubas, facie Sigambri.  
 65       Quae Virgo nobis dirigit obvia  
 66       crinale telum, Solis ait soror  
 67       dici. Pharetram frater implet  
 68       igne suo, jaculisque lucis.  
 69       Jam permeamus Mercurii domum ;  
 70       volvi procacem jam Veneris globum,  
 71       haec porta Phoebi : quam Gradivi  
 72       castra premunt. Jovis ista sedes  
 73       velata quercu. Summa tenet pater  
 74       effeta torpens membra senex gelu  
 75       Saturnus, algentemque zonam  
 76       servat Hyperboreumque tractum.  
 77       Enavigemus. Fallor : an audio  
 78       per astra carmen ? Carmina credidit  
 79       jucunda, concentumque moto  
 80       Pythagoras resonare caelo.  
 81       Quaecumque, certe non inamabilis  
 82       insania haec est. Cum sonitu poli  
 83       vertuntur. Audis instrepentum  
 84       agmina luxuriare vocum ?  
 85       Et vero cantant ! Omnia sunt chorus :  
 86       Stellaeque Musae, dum rota volvitur,  
 87       et scena picturata transit,  
 88       aetherias modulantur odat.

89       Quis iste Cycnus gutture dividit  
 90       alisque, lessum ? Flamina quae lyrae ?  
 91       Orpheo testudo canorum  
 92       mille rapit thiasos in orbem.  
 93       Cum se citato circumagit pede  
 94       praeeceps Orion ! En nova Pyrrichae  
 95       saltationis vibrat arma  
 96       In numerum, rutilique flamas  
 97       educit ensis, non sine siderum  
 98       risu sequentum : quae bene baltei  
 99       mirantur ingentes catenam,  
 100      et phaleras, et acuta coni.  
 101     Non ipse Cepheus abstinet, et suae  
 102     laetus choreis conjugis annuit,  
 103     clangente vultu : non ligatam  
 104     Perseus Andromedam relinquit.  
 105     At nec Bootes illepidus : gradu  
 106     velit citato currere, ni fera  
 107     retardet. Ergo caedit Ursam.  
 108     Et scutica metuendus urget.  
 109     Huc, Fusce, ventum est. Ulterius nequit  
 110     audax Poesis provehet altius  
 111     alata Virtus. O venusti,  
 112     o Salii, meus ardor, ignes !  
 113     O ludus, o spectacula in aureo  
 114     caeli theatro ! O Patria, Patria.  
 115     Si sic pavimento coruscas  
 116     qua facie radiabis intus !  
 117     Sed jam fluentes leniter attraho  
 118     redux habenas : ne Phaethontio  
 119     errore signemus quadrigam,  
 120     aerium per inane lapsi.  
 121     Hinc, ex Olympo, fertur et Appia  
 122     ad usque terras se via pandere,  
 123     secura, Romanaeque suppar ;  
 124     nec tumidis inamoena clivis.  
 125     Illam penetrans te (quid enim times,  
 126     Sabine ?) Glauca molles ad Isarae  
 127     depono ripas. Necte vati  
 128     serta tuo, viridemque laurum.

AD D. VIRGINEM AETALENSEM. CUM EX TYROLI IN BAVARIAM PROFECTUS ILLAC PRAEVE...

03\_2   v.1   Montium praeses, nemorumque Virgo :  
 2       cujus Aetalae meminere valles.  
 3       Silva cui circum viret, et comantes  
 4       imputat umbras.  
 5       Quam tuam laetus, propiore passu.  
 6       Eminus visam venerarer aedem !  
 7       Sed viae tardant, neque lento audit  
 8       currus habenas.  
 9       Ergo, quod solum superest amicis,  
 10      quos iter jungi vetat : o et absens,  
 11      ter quater pulchris cumulanda votis,  
 12      sic quoque salve.  
 13      Tu quoque absentem jubeas valere.

14        Mutuas ut dum damus, atque voces  
 15        reddimus ; sacrae per opaca silvae  
 16        insonet Echo.

## AD PYRRHUM FEUDIUM.

03\_3      v.1        Te nemo vilem verset ut amphoram,  
 2        ansamque nullo crimine praebeas :  
 3           qua, Pyrrhe, deprensus per omnes  
 4            fabula circumagatis aures.  
 5        Ignava terror pectora proterit,  
 6        movenda quovis murmure civium.  
 7            Virile numquam fama sternit.  
 8        Mitte levi trepidare probro.  
 9        Quid vana curas nomina, non tua ?  
 10      Contentus esto te potius, neque  
 11            caecos reformida tumultus,  
 12            aut strepitum popularis aurae.  
 13      Amara rerum non potes omnium  
 14            vitare flexu : plura tamen potes  
 15            eludere ictu. Perge agendo  
 16            fortia, displicuisse multis.

## GENOVEFA, SANCTA VIRGO PARISIENSIS. DESIDERIO VIDENDI IN CAELO CHRISTI

03\_4      v.1        Vergente vita, rapta cupidine  
 2        vitae perennis, fertur amabilem  
 3            singultum in has rupisse voces,  
 4            Francigenum Genovefa fidus.  
 5        Atqui moraris mors mea vita, nec  
 6            promissa servas ! Pronubus, en, dolor  
 7            et morbus ornavere sponsam :  
 8            sertar fragrant, oleoque lampas  
 9            Vestalis ardet, non solitis ego  
 10          mollis juventae terreor ignibus.  
 11          Me forma brumae me pruina,  
 12          me glacies potiore flamma  
 13          letalis urit mors in amoribus.  
 14          Mors in medullis atque oculis natas.  
 15          Te, Sponse, si nescis in horto  
 16            pacta mihi mea mater Eva,  
 17            diis invidenda carpsit ab arbore  
 18            dotale pomum. Te generum sibi  
 19            Adamus electum momordit :  
 20            et mihi tunc, moriere, dixit.  
 21          Haec dote felix nubere gestio  
 22          Natura rebus quam dedit omnibus.  
 23          Debetur et nobis parentum  
 24          Terra levis, modicusque pulvis.  
 25          O Larva verna pulcrior iride :  
 26            o umbra puro sidere clarior !  
 27            O corpus, o vivum cadaver :  
 28            o tenebrae, mea lux, amicae !  
 29          Ah quando junges oscula virginis ?

30        Nam consecravi me tibi virginem.  
 31        Intacta florem servo. Nostri  
 32        nullus habet spolium pudoris.  
 33        Nondumne serum ventilat hesperum  
 34        vespillo ? Nondum sarcophagi torum  
 35        stravere Manes, et virentis  
 36        sparsit Hymen solium cupressi ?  
 37        O nox beata : o ultima frigora,  
 38        primi calores ! O mea funebris,  
 39        et nuptialis taeda luce.  
 40        O thalami, tumulique nostri ?  
 41        Lucente buxo me Solymitides,  
 42        vacciniis me pingite Gallicae :  
 43        nigramque, formosamque Nympham,  
 44        flammeolis operite fuscis.  
 45        Pallent amantes : non ego palleam ?  
 46        Demantur ori viva corallia :  
 47        incingat albam vitta frontem, et  
 48        populeis Libitina ramis.  
 49        Festiva ludant carmina praeficace,  
 50        dulcemque lessum. Sponse, veni : tua  
 51        te quaerit, exspectatque maesta  
 52        supplicibus Genovefa votis.  
 53        Seu te sepulcri regia nobilis  
 54        late imperantem ; seu nova Pyramis,  
 55        vasto Mausolea monte  
 56        saxa tenent : famulique circum  
 57        pectunt lacertas vertice mobiles :  
 58        dorsique spina, aut orbibus e cavis  
 59        scrutantur angues, ut reclinent  
 60        funereum diadema calvae.  
 61        Seu fila vitae texta novissimae  
 62        lustras, et aevi pensa recolligis :  
 63        seu messe jam poscente falcem,  
 64        vectus equo per anhela pestis  
 65        camposque et urbes, et populos metis,  
 66        densisque stipas cladibus horrea :  
 67        huc flecte cursum, tot marite  
 68        nominibus titulisque noster.  
 69        Ne Franca Virgo neu tenuis precor,  
 70        fastidioso displiceat casa.  
 71        Facunda surdo, pulchra caeco  
 72        non satis est opulenta conjux ?  
 73        Quondam et tabernas pauperis ingredi ;  
 74        superque tectis stramine consitis,  
 75        immensa laudabare parvo  
 76        atria posthabuisse ruri.  
 77        Ergone solis divitibus nemus  
 78        recludis atrum : quod pede libero  
 79        Manes coronati pererrent  
 80        cum citharis, choreasque plaudant ?  
 81        Et nos mereri possumus aureae  
 82        pondus pharetriae. Profer arundinem,  
 83        dilecte, figendamque vibra.  
 84        Vulneribus patet omne pectus.  
 85        Quamquam ipse vulgo crederis osseus :  
 86        dicere nobis totus eburneus.  
 87        Dicere frondoso celebris

88 de Libani properasse saltu.  
 89 Amemus. Urat mutua febrium  
 90 vis blanda venas. Me bene languidam  
 91 compone somno. Necte myrtum,  
 92 necte tuae violas puellae :  
 93 in valle quales Elysia madens  
 94 ferrugo tingit. Jam morimur : bene est.  
 95 Mortem fefelli : necte, Christe,  
 96 necte tuae violae coronam.

## AD VIRGINEM MATREM.

03\_5 v.1 Diva formosis vigilata flammis  
 2 hinc et hinc circum : cui Luna suras  
 3 osculo mulcet, famulusque sol ve-  
 4 stigia lambit.  
 5 Prosit hoc vati cecinisse, quod fis  
 6 diva formosis vigilata flammis.  
 7 Nil negat natus tibi ; nil negari  
 8 posse, fatetur.  
 9 Ille, suspensus, quoties ocellis  
 10 dulce connives, et amoris ignem  
 11 visa suspiras ; toties parenti  
 12 dulce renidet.

AD RUDOLPHUM VOGTIUM, NOBILEM ALSATAM. UT PATRIAE CALAMITATEM MODERATE FERA...

03\_6 v.1 Cum vix egentem vomeris aream  
 2 fecunda spicis integer et Ceres :  
 3 cellaeque, Lenaeique fontes,  
 4 indomito fremuere musto :  
 5 tunc te beatum, tunc tibi candidos  
 6 fulsisse soles credideras : velut  
 7 regnante Saturno, videres  
 8 secula praetereuntis auri.  
 9 Nunc arva postquam messuit hosticus  
 10 ensis Gothunni, et bruta sitis tuas  
 11 vastavit uvas ; vae, severo  
 12 quam tetricum ruis imbre vultum,  
 13 maestoque jam jam lumine flebiles  
 14 rimaris umbras ! Desine tristium,  
 15 Vogti, querelarum, dolorem  
 16 causa levet, patriaeque dulcis.  
 17 Commune damnum. Corrigere est nefas  
 18 quodcumque luges . Procubuit seges :  
 19 succisa viciis, sparsa rupto  
 20 vina cado. Jacet arx, et hortum  
 21 villasque et agros et sata duplices  
 22 ussere Sueci. Caetera subruit  
 23 vicinus intactas amicus.  
 24 Relliquias Danaum secutus,  
 25 cui vero dices impatiens diem ?  
 26 Stultum est querelis Fata lacessere ;  
 27 culpare Fortunam, probrosum.

28        Si Domino caput obligasset,  
 29        professa numen se famulum fore :  
 30        citare posses. Sed levis est dea,  
 31        levisque dici tota gaudet :  
 32        idque negat meretrix negare,  
 33        ibis Gradivum sistere judici ?  
 34        Sed omne miles jus capulo dedit,  
 35        hic crimen objectum refellet  
 36        ense ; tubae sonitum diserto  
 37        opponit ori. Qui melior manu,  
 38        Victor perorat. Numquam adeo bene,  
 39        armata vis, et lex inermis  
 40        conveniunt. Feret omne punctum  
 41        vagina Martis , perge miser queri,  
 42        non audiendus. Consule me tamen  
 43        silebis aerumnas, et alta  
 44        mente premes. Superatur omne  
 45        malum ferendo. Saepe beatius,  
 46        Rudolphe, censu paupere vivitur,  
 47        et rebus angustis. Quid ambis  
 48        divitias ? Satis ille dives,  
 49        quem fortuitis ex opibus nihil  
 50        irritat. Ingens est patrimonium,  
 51        cupido nullius caduci ; et  
 52        fervida diminuisse vota.

## AD D. VIRGINEM. ASSUMPTAM, IN EIUS PERVIGILIO.

03\_7      v.1        Quo die, terris properans relictis,  
 2            tota migrasti super alta Virgo ;  
 3            floribus stratum tibi tergus incur-  
 4            vavit Olympus :  
 5            dulce, te visa gradiente, caeli  
 6            carmen auditum resonare : qualis  
 7            ista, per nigrae loca senta silvae, et  
 8            horrida tesqua.  
 9            Qualis ascendit Dea ! Tota pulchra,  
 10          gaudiis gemmat liquidis, suoque in-  
 11          nixa dilecto, volucres per auras  
 12          floribus halat !  
 13          Talis in seram. Sua regna, noctem  
 14          Luna cum venit, tenuatur Arctos ;  
 15          pallet Arcturus, positoque ferro  
 16          languet Orion.  
 17          Talis electi speciosus oris  
 18          Phoebus, Aurora lacrimante, ridet :  
 19          quando cristatis avibus coruscum  
 20          mane precatur.  
 21          Inter has voces, magis elevata  
 22          brachiis Nati, superas id omne,  
 23          quod Deus non est ; animumque toto  
 24          numine mergis.  
 25          Merge : dum dulci maris e profundo,  
 26          quod superfusum bibis. Una saltem  
 27          gutta destillet, lacrimasque nostri  
 28          temperet Orbis.

## SACRA TEMPESTAS EXUNDANTIS OENI. SIVE FLAVII POLLIONIS

03\_8      v.1      Ergo, nefasto quo cecidit loco,  
               2      fatalis Austri caesa bipennibus,  
               3      arsura flagrabit perenni et  
               4      viva rogo morietur arbos !  
               5      Gelboa toto monte cacumina  
               6      implete valles. Vos Libani sacrae  
               7      lugete silvae me vel Othrys,  
               8      vel Rhodope tegat in volutum  
               9      mundi ruina me profugum freto  
 10      Malea mergat : me Libycae fames  
               11     raptum leaenae me recondant  
               12     ventre cavo scopulosa cete.  
 13      Vix haec disertus Pollio : cum repens  
 14      pervasit omnes turbine pectoris  
               15     commistus horror stare venti,  
               16     in pluvias resolutus aether  
               17     sonora Rostris volvere murmura.  
 18      Huc deinde lapsis auctior imbribus,  
               19     qua parte nubes evocatus  
               20     caeruleas equitavit Auster,  
               21     omnem loquendi vertere copiam  
               22     orator Oeni nunc subiti ruit  
               23     torrentis instar de nivali  
               24     vertice ; nunc medio volutus,  
               25     et ire praeceps sistitur aggere ;  
               26     tantoque spumat verba ferocius  
               27     allisa ripis : Tulliani  
               28     sed medio velut unda Thybris  
               29     templo intulisset fulmina grandium  
               30     sententiarum plebis in obviae  
               31     funduntur aureis, cum profunda  
               32     dedecorum scelerumque strages.  
 33      Quo more rivos aequoris, humido  
 34      ejectat arcu, terror euntium  
               35     balaena nautarum refuso  
               36     mox animi maduere ponto :  
               37     haustique miri fluctibus alvei  
               38     flevere culpas, et lacrimas aquam  
               39     auxere, nigrantes arenas  
               40     diluvies pretiosa fundo  
               41     a cordis imo torquet et eruit.  
 42      Ploratus ingens exoritur, simul  
               43     facunda tempestas revulsis  
               44     intumuit per aperta claustris.  
 45      Jamque omne crimen gurgite mergitur ;  
 46      et irreperto litora desinunt  
               47     vado videri jam teguntur  
               48     culmina, turrigerique fastus :  
               49     jam sumptuosae tecta superbiae,  
               50     montesque honoris sub pelago latent,  
               51     idemque cum furtis iniquae  
               52     naufragium subiere merces :  
               53     pictaeque vestes, et chlamydum fluunt :

54        cinctus, et omnis gaza pecuniae :  
 55        factumque et infectum metallum et  
 56        dimidi periere vultus.  
 57        At vero fractis ingemuit Venus  
 58        libidinosae pontibus insulae  
 59        vis nulla Germanum valebat  
 60        nullus obex cohibere Araxem.  
 61        Haec unde novi ? Cum fluerent nives,  
 62        late sonantem tutus Aquarium.  
 63        (nam Phoebus adductum tegebat  
 64        nube cava) speculabar. Ohe !

AD SIMONEM LAVENDULAM. SE, IN EXCOLENDA MACIE, MIRUM IN MODUM PROFICERE.

03\_9      v.1      Tantae molis erat, denique corporis  
 2           tota destitui mole, Lavendula,  
 3           ipsos exuor artus :  
 4           ipsis exuor ossibus.  
 5           O gratare mihi jam penitus macer  
 6           depono reliqui rudera carceris.  
 7           Paullum restat arenae,  
 8           totus spiritus emico.  
 9           Nec porro lanios horreo nec forum,  
 10          In quo vaenit adeps, vito Boarium,  
 11          securus licitatum  
 12          nullis a Brasilis emat.  
 13          Nulla parte mei bellua, flammeis  
 14          mentem sideribus protinus inferam.  
 15          Ceu Maia satus, inter  
 16          umbras et superos eo.  
 17          Jam jam liber io (terra putris vale)  
 18          defecatus io (congeries vale  
 19          insincera : valete  
 20          ventres) tollar in aethera.

AD FRANCISCUM RAGUSIUM. EDMUNDI RAGUSII FR. SYMBOLA PYTHAGORAE.

03\_10     v.1      Vile ne fiat tibi numen usu,  
 2           cum nihil majus generetur ipse :  
 3           ne Deum caeles, digitoque portet  
 4           annulus haerens.  
 5           Fervidam spumis, cave, laesus ollam  
 6           concites, non est fodicandus ignis  
 7           ense. Sopita cineres quiescunt  
 8           tutius ira.  
 9           Dura constanti supera labore.  
 10          Copta successu properanter urge :  
 11          ut nihil fecis bibiturus in cra-  
 12          tere relinquas.  
 13          Urbium nolis minui coronas :  
 14          legibus lucre redimitur ara :  
 15          lege firmantur sacra : lege cives,  
 16          lege senatus.  
 17          Publico numquam gradiere calle.

18 Nam minus peccat minus usitatus.  
 19 Plebis exemplo via trita semper  
     fallit euntem.  
 20 Empta cum luctu noceat voluptas  
     criminis ferum fuge paenitere :  
 21 ne quidem gustes epulans nigras ha-  
     bentia caudas.  
 22 Alium raro, pia farra saepe ?  
 23 Cor edes numquam. Remove dolorem  
     laetus, et diris jecur ulcerosum  
     linque Mycenis.  
 24 At nec infamis tibi foeda mensae  
     lucra, nummorum sapient avaro :  
 25 nec manu sumas aliena quondam  
     pocula laeva,  
 26 impiger cursas, cave transiere  
     ante suspensam pedibus stateram.  
 27 Triste fas laesum nihil est iniquo  
     judice pejus.  
 28 Laetus arride speculo, nec horre.  
 29 Quod negat Natura, velis negatum.  
 30 Invidens hosti, tamen abstineto  
     vellere barbam.  
 31 Diis merum liba. Bene dii precantur  
     mentibus gratis, cumulantque dona.  
 32 Cum tonat caelum, venerans memento  
     tangere terram.

## AD B. VIRGINEM. ITURUS EBERSPERGAM.

03\_11 v.1 Dum me severis fessus in exedra  
     exsolvo curis : et volucri rota  
     per arva vectum, cinget Eber-  
     sberga cavo nemorum recessu ;  
     tuere sanum, laetitiae parens :  
     vultu sereno discute nubila.  
 2 Spirare clementes Aprilis  
     In Zephyros tenuetur aer.  
 3 Quod si propinquae caerula Doridos  
     tentabo cymba ; da placido lacum  
     sopore sternendum, quotannis  
     emerita peragrare queru.  
 4 Nec vero gratis, fors habiles agam  
     remos, amoeno non sine carmine ;  
     navim salutaturus illam,  
     quae titulum gerit institoris.  
 5 Dicere Nymphis ditior omnibus,  
     vexisse fruges, aetheriis procul  
     campis refectas ; et trementi,  
     Virgo, famem pepulisse mundo.  
 6 O ergo nostri praeses in aequore  
     formosa stagni, vatibus annue,  
     sic glauca verbenis et ulva,  
     Cymodoce, tibi serta nectam.

## AUCTOR A CELEBERRIMA SECTA STOICORUM DESCISCIT.

03\_12 v.1 Quid mihi vobiscum est latebrae foetentis alumni,  
 2 Deucalione sati ?  
 3 Mobile lignorum genus, et viventia saxa :  
 4 quae tamen Ogygiam.  
 5 Amphion nullus cithara traxisset ad Urbem,  
 6 pondere fixa suo.  
 7 Jam tandem deprensa mihi fraus omnis et error.  
 8 Pene ligatus eram  
 9 stuppea sed valido disrupti vincula nervo,  
 10 ceu putrefacta situ.  
 11 Estis, io, rigidi cultores estis honesti,  
 12 usque severa Tribus.  
 13 Non turgent oculi lacrimis ; non gaudia risu ;  
 14 non tumet igne jecur :  
 15 nullaque sedatum tempestas pectus inundat.  
 16 Omnia pace vigent.  
 17 Credite Pisones : at non ego credite Verpi,  
 18 gens inimica Deo.  
 19 Credere me tristis vetat experientia rerum,  
 20 nec sinit esse rudem.  
 21 Auditis ? Quorum virtus olet horrida caepas.  
 22 Totaque vita sedet :  
 23 multum vesicae vobis et majus inane est.  
 24 Fastus ubique sonat.  
 25 Hinc abeo versis aliud mare currere velis  
 26 liberioris aquae.  
 27 Qualis in Adriacis Venetum secura phaselus,  
 28 et mea lucet aquis.  
 29 Decurrat placidis innubila moribus aetas,  
 30 temperiemque ferat.  
 31 Non suspecta metu non importuna tumore,  
 32 non odiosa minis.  
 33 Tempus erit, laetus risum cum poscet amicus :  
 34 splene feremus opem.  
 35 Tempus erit flendi : veris manabit in uda  
 36 fletibus ora dolor.  
 37 Denique verus homo ; non truncus inutilis aegri,  
 38 nec lapis esse volo.

## LUDUS PALAMEDIS, SIVE LATRUNCULORUM VULGO SCACCHUS

03\_13 v.1 Cur spissos foliis dividimus libros,  
 2 ut magni pateant somnia Socratis  
 3 de nugis hominum, seria veritas  
 4 uno volvitur assere.  
 5 Chosci : nonne vides, quos variet modos,  
 6 quas Fortuna vices mobilis imputet ?  
 7 Eheu ! ludimus et ludimur impares  
 8 signis, interitu pares.  
 9 Adversis validae stant acies viris :  
 10 hinc Tros, hinc Rutuli, versicoloribus  
 11 incincti sagulis turrigeri latus  
 12 defendunt geminum eques.

13 Paullum castra silent, nec tuba protinus.  
 14 Misetetur dubius consiliis timor :  
 15 secretosque ducum, quos acidunt, dolos  
     dispensat patientia,  
 17 et speratus honor, mox, ubi classica  
 18 diduxere sonum, res geritur manu :  
 19 ac ni consideant sub galea comae,  
     stent altum rigidae metu.  
 21 Dum campus medio panditur aequore,  
 22 decrescunt subitis agmina caedibus  
 23 vestro, si memorem funera, rustici.  
 24     Stat victoria sanguine.  
 25 Vos commune malum, vos luitis scelus.  
 26 Vestris, quotquot egent, in vitulis arant.  
 27     Ex vestris gladium fingere falcibus  
     solers, vos metit et sata.  
 29 Quidquid magnanimo crimine fortiter  
 30 delirant proceres : plectitur ultimus  
 31 In pago Corydon. Noxa palatii,  
     exurit steriles casas.  
 33 Aude et tu facinus, vilis homuncio ;  
 34 ne semper ducibus victima mugias.  
 35 Agrestes etiam quondam animosior  
     fungos Gloria respicit.  
 37 Tamberlanus erat pastor, idoneus  
 38 permutare pedum frondibus aureis.  
 39 Justinus trabeas Ausonii tulit  
     armentarius imperi.  
 41 Sed quis de medio, capripedium choro  
 42 improvisus adest ! Quam tacito pede  
 43 transmissas, camuris non sine cornibus,  
     obliquat salebras viae !  
 45 Parthorum celebrem dissimulat fugam,  
 46 ponens insidias. Iste nigerrimus :  
 47 hunc, Romane, cave. Sternit et arietat  
     hircis laeva tuentibus.  
 49 Malit quisque tamen non humili manu  
 50 Ajacis, fatui quam trabe ludicra  
 51 cursoris perimi vulnera saepius  
     clava morio dividit.  
 53 Nostri bella queror tristia seculi :  
 54 sub quorum clypeis omne genus furit  
 55 stultorum. Vitiis laxat atrocibus  
     Mars impune libidinem.  
 57 At regina gradu fertur Amazonis,  
 58 quo se cumque movet : collaque (feminis  
 59 eheu ! cuncta licent) demetit obvia,  
     alis fulminis ocior.  
 61 Non obsistit eques, non peditum phalanx,  
 62 non frendens elephas Porus et Hannibal  
 63 succumbunt Veneri cuncta domat Venus :  
     una est fortior omnibus.  
 65 Non et quanta valet, semper in hostium  
 66 permittenda globos ire cadentium.  
 67 Observatur enim fervida praelii ;  
     Aruns non datur unicus.  
 69 Magnas vertit opes sexus iniquior,  
 70 inconcessa petens et nimius sui.

71       Nam desiderio quem statuit modum  
 72            flammis ista cupidinis  
 73            numquam plena salus, cum mulier regit.  
 74            Numquam tuta satis, quae modo provida  
 75            apparet Tanaquil : mox temeraria  
 76            prodet Fulvia conjugem.  
 77            Rex Adraste, pedem tu quoque promove.  
 78            Incauto nocuit credere militi  
 79            majestatis onus. Qui residet domi,  
 80            absens plurima nesciet.  
 81            Turmas ipse suas duxit Iulius,  
 82            Epirique potens : ipse pericula  
 83            cingentum mediis repulit hostium,  
 84            Belgarum Leo Carolus.  
 85            Dum mandata damus, dum Fabii sumus  
 86            tantum dimidii ; dum madidi mero,  
 87            ungentisque rosisque otia vendimus :  
 88            jacta est alea Teutonum.  
 89            Sed jam tempus equum frena resolvere.  
 90            Lusi : coge meos, Hophska, Triarios,  
 91            et thecae modico compositam sinu  
 92            buxum conde Laconicam.  
 93            Uno pompa loco. Ludicra consulum  
 94            lictorumque jaces. Hic capit alveus  
 95            Cum gemmis silices, et radiantia  
 96            mistis sceptrta ligonibus.  
 97            Cur mundi titulis captus inanibus  
 98            sub vano, juvenis, nomine militas ?  
 99            Cujus spes fragilis, res brevis, et vitro  
 100           ampullaeque simillima.  
 101           Non, si victor ovas, major eris cinis :  
 102           non, si deprimeris victus, eris minor.  
 103           Omnes in tumulo vile silent genus.  
 104           Ludus vivitur, et sumus

#### ARGONAUTAE.

03\_14   v.1   Jus sacri laesum refero tridentis  
 2           per truces fluctus, et opaca ponti.  
 3           Thessalem Graii docuere nautae  
 4           currere pinum.  
 5           Huc ovis flavae scabies avaros  
 6           impulit. Tanti fuerat, timere  
 7           fulmen, et spumas et equos et aerei  
 8           flammea tauri  
 9           Ergo telluri locus et sepulcra, et  
 10           asseres desunt quibus inserantur  
 11           ossa ! De fundo pelagi petendae  
 12           funeris urnae !  
 13           En reos. Parcam Lachesin queruntur  
 14           pensa de vili glomerare lana ;  
 15           nec colum totam dubitant trementi  
 16           nectere malo :  
 17           unus in remi quoque forsan usum  
 18           fregit, ut stantes agitaret undas :  
 19           alter intextae data vela vitae in

20 carbasa vertit.  
 21 Dii maris ! cur non prius obruistis ;  
 22 quam reversura Minyae carina  
 23 magna dissecti traherent in unum  
 24 foedera mundi.

AD REGINAM CAELI. CUM EAM SERENISSIMA ELECTRIX MARIA ANNA, AD EIUSDEM STATU...

03\_15 v.1 Descende caelo, filia principis,  
 2 pulchrosque gressus figere Boicis  
 3 dignare terris : qua vocatae  
 4 Austriacas Marianna palmas  
 5 tendit, columnam Virgo supervola,  
 6 tecum solutis alma Salus comis.  
 7 Et pax ligatis, nec verendo  
 8 cana Fides, Pietasque vultu,  
 9 comesque vadat publica faustitas,  
 10 et plena cornu divite Copia :  
 11       quam naris emunctae Voluptas  
 12       intereat graviore passu.  
 13 Venit serenum fulgure scinditur.  
 14 Venit canoras jungite tibias :  
 15       Albaque dignatam videri  
 16       nube super, celebrate laeti  
 17       cives patronam seu rapidus calor  
 18       exurit agros : seu nimio seges  
 19       humore suffocata stertit :  
 20       seu penitus glacialis imber  
 21       messis juventam stravit et ultimus  
 22       affixit oris : seu fera cladibus  
 23       Bellona vestram, seu veneno  
 24       atra lues populatur urbem :  
 25       quae tecta pestis cumque subiverit,  
 26       morbis et armis Diva medebitur :  
 27       saevumque vel diffinget ensem in  
 28       sarcula, frondifluamque falcem :  
 29       vel in feroces Massagetas retro  
 30       Suecosque vertet mox melioribus  
 31       ridebit astris purus aer,  
 32       et Zephyrus recreabit arva,  
 33       tum vero grandes efferet altius  
 34       Ceres aristas : mellaque lubricis  
 35       labentur e truncis, et omnes  
 36       sparsa ruent peragrare vicos.  
 37       Ripas inaudax Isara transgredi.  
 38       Intra modesti fluminis alveum  
 39       tenebit undas ni refuso  
 40       lacte fremat, tumeatque musto,  
 41       audimus haec et supplice praesidem  
 42       nondum sonamus carmine virginem ?  
 43       Io, tubarum clangor aera  
 44       rumpat, io resonent choraulae.  
 45       Ordimur : o cui dimidi sumus,  
 46       genuque strati fundimur in Forum  
 47       late coronatum lucernis,  
 48       vespere jam numerante stellas.

49 Occurre votis, et Bavaros duces  
 50 affla benigni numinis halitu.  
 51 Tu robur afflictaeque scutum, et  
 52 dulce decus, patriaeque Mater,  
 53 Juditta nostrae pulchra Betuliae :  
 54 Tu spes Senatus, tu Populi salus.  
 55 Ducisque, natorumque, et Urbis  
 56 Gloria, laetitiaque causa.  
 57 Te Gotthus hostis, te mare Balthicum  
 58 marisque rector barbarus horruit.  
 59 Cantamus audiri per axes  
 60 aetherios, et utrumque Solem,  
 61 te mollis Indus, te Brasili quoque  
 62 noscunt et auri dives Arabia,  
 63 inops et umbrarum Syene.  
 64 Te ruber Oceanus tepenti  
 65 adorat unda : te canit ultima  
 66 et prima tellus, te colit Aethiops  
 67 Crispum renodatus capillum, et  
 68 ora niger, niveusque dentem.

## AD MOLARDUM BUCCONEM. CUR A STOICIS SECESSERIT.

03\_16 v.1 Musa, quid exhorres ? Res est vulganda Camoenis  
 2 ne plures malus inquinet error.  
 3 Prodimus arcanum, pudet ah, pudet edere ; cuius  
 4 nuper eram pars magna, Molarde.  
 5 Inter Sessores et nos consedimus illos.  
 6 Qui pressa cervice laborant.  
 7 Me Bruti effigies, et vox audita Catonis  
 8 nil animo servile ferentis ;  
 9 et duo praebentes Annaei colla Neroni  
 10 impulerant admittere gibbum :  
 11 sic tamen, ut posita Fortunam Fataque supra.  
 12 Cuncta vehi formidine mallem.  
 13 Optabam fronti duplices inducere rugas,  
 14 bisque macer, torvusque videri.  
 15 Inque modum statuae, qualem vel Cecropis olim,  
 16 vel cives posuere Quirini ;  
 17 altior e populo cornutum tollere fastum,  
 18 et tussim jactare sonantem.  
 19 Dum Senecam volvo, et magnae solacia mentis  
 20 promittit Lucilius, eheu !  
 21 Stoicus intravit tacito praecordia lapsu,  
 22 et fixis radicibus haesit.  
 23 Quidquid conabar, fuerat sententia saltem  
 24 spuma fuit verbosa loquentis.  
 25 Jamque Epicteti factus niger ora lucerna  
 26 gaudebam fuligine tingi.  
 27 Tunc primum tetricas ausus contingere barbas,  
 28 hirsutis sociabar amicis.  
 29 Percute, Musa, lyram, retro vestigia torsi,  
 30 cum vidi contraria votis,  
 31 credideram nullo praestantia pectora motu  
 32 turbari, subitave procella.  
 33 Hi sunt, quos intus jactantior Aeolus Euris

34                pulsandos committit, et Austris.  
 35        Saepe, nec in Siculo tam saevum carcere bellum,  
 36                quam vapido sub pectore fervet.  
 37        Hi sunt, qui cupiunt, terrentque, audentque, paventque ;  
 38                quos odium, dolor, ira flagellat.  
 39        In placido regnat formosa Neapolis ore :  
 40                corde flagrat fumante Vesevus.  
 41        Quid ? Quod et in faciem furor exit, et intima toto  
 42                ex animi ciet aequora fundo.  
 43        Flant Boream nares, et pleni sulphure vultus  
 44                fulmineis arsere cylindris.  
 45        Tunc lingua in vappa, dentesque in vulnere strident ;  
 46                tunc crabro circumvolat aureis  
 47                sunt aliqui tantum propter fastidia nati.  
 48                Hac anima septemplice vivunt ;  
 49        inter Aristarchos ut sint urtica minaces,  
 50                et magnum laudentur inane.  
 51        Interea raro, quanquam intonuere profunde  
 52                respondent praecordia factis.  
 53        Vallibus irrepunt, alto de monte locuti :  
 54                fraga jacent, cedrique videntur.  
 55        Fortiter Herculeis invadent omnia rhonchis :  
 56                somnus erunt, quae caetera tentant.

## AD LUDOVICUM SONNAM. INCONSTANTIA RERUM HUMANARUM.

03\_17    v.1        Alterna mistis gaudia lacrimis  
 2                ubique cernas, dissocies licet,  
 3                rursus coibunt, se sequuntur  
 4                et fugiunt, vicibusque certis  
 5                mutant habenas. Saepe oculo simul  
 6                sedent eodem. Tu Charitum prius  
 7                trium resolves, Sonna, nodum,  
 8                quam trepidas ab honore curas,  
 9                et nexa laetis tristia separas.  
 10          Qui dulcis ori risus inambulat,  
 11                mox flebit, uxoremque caram  
 12                inter opes puerisque linquet.  
 13          Haec Fata certe nuper Alonium  
 14                ursere nostrum qui citharae sciens,  
 15                et dives, et pulcer repente  
 16                heu, viduam juvenis reliquit  
 17                pejora narro filia Scandolae  
 18          Rosina, Maiis Idibus edita,  
 19                et ducta Maiis ; nocte prima  
 20                brachia destituit mariti.  
 21          Adhuc fremebant carmina nuptiis :  
 22                cum sponsa toto frigida corpore,  
 23                ut funus assedisse mensae,  
 24                dicitur exanimis reperta.  
 25          Albam voluptas saepe togam dabit,  
 26                quam sumet ater luctus, et induet :  
 27                baccisque non istos in usus  
 28                dispositis sua colla cinget.  
 29          Nectente florum serta Talassio  
 30                invisa spinas adfuit Eumenis :

31        somnoque mortem parca jungit.  
 32        Delicias onerare praesens.  
 33        Sic taeda nigros in cineres abit :  
 34        et in cupressum flammea vertitur  
 35        votis tot exoptata pinus :  
 36        sic Venerem Libitina pellit.

## AD DIVAM VIRGINEM.

03\_18 v.1    Ne tibi Servi fit amor pudori,  
 2        plurimo quamvis vitio rubentis :  
 3        culpa si Matrem mea te secundi  
 4                fecit Adami.  
 5        Ter quater felix fuit illa culpa.  
 6        Non nihil certe bona Virgo primae  
 7        debeas Eva. Memor usque scis, et  
 8                scire fateris.  
 9        Inde tam dulces veniunt sagittae :  
 10        corda quae pleno scelerata figunt  
 11        impetu nervi, vacuantque totum in  
 12                crimina pondus.  
 13        Inter insontes niveosque vitae  
 14        Unice nolis habitare cygnos :  
 15        plus tibi corvi dederunt honoris  
 16                moribus atri.

## AD FLORENTINUM CEDRUM. PEDEMONTANUM. COMMENDAT ILLI SUA LYRICA.

03\_19 v.1    Ne sperne nostras, Cedre, superbior  
 2        arbos myricas, quamquam animo supra  
 3                colles poetarum, in supremum  
 4        Phocidos emicuisse montem,  
 5        testatur omni Melpomene jugo :  
 6        demitte vultum, et sacrificia manu  
 7                attolle reptantem per herbas,  
 8        saxaque relligiosa Pindi.  
 9        Te serta Flacci molliter ambiunt,  
 10        gaudentque crines lambere conscios  
 11                horroris, erectique Phoebi :  
 12        te saturat tegit umbra lauro.  
 13        Olim et canentem callida patriae  
 14        agnovit Echo : nunc sacer alipes  
 15                salutat hinnitu, et patentes  
 16        Bellerophon tibi cedit alas.  
 17        Dum non, in alto stans, pede proteras  
 18        imos, negata difficultis via :  
 19                nec Hippocrenen solus omnem  
 20        evacues phiala tyranni.  
 21        Commune malis, quo frueris, bonum.  
 22        Fons vivat orbi. Sic age, Pindare :  
 23                assuesce possessor deorum  
 24        pauperibus placuisse Musis.  
 25        Catulliano Mantua passere  
 26                non indigebat : Vergilio tamen

27        Verona misit. Luna stellis  
 28        cingitur : exuvias ferarum  
 29        Diana nullas respuit : Apulo  
 30        spicam offerenti, dives opum Ceres  
 31        arridet : et solvunt in aequor  
 32        Ionum fluvii minores.

AD JO. BAPT. ROREMUNDUM. ALSATAM, SUB SUECO EXSULEM, IN HELVETIA.

03\_20    v.1        Mitte quam calces, Roremunde, terram  
 2        quaere, quid cernas. Oculos in altum  
 3        tolle : non distat magis hoc ab illo  
 4        exsule caelum.  
 5        Luna, sol, stellae celeres rotantur  
 6        semper in gyros rapido meatu.  
 7        A quibus vivens alimenta fumis,  
 8        disce moveri.  
 9        Peste non motus vitiatur aer.  
 10       Stante Neptuno pelagus putrescit.  
 11       Noxium languent pigra dormiente  
 12       corpora vento.  
 13       Bella damnosam prohibent quietem :  
 14       segnium purgant scelus incolarum.  
 15       Patrio fixum nocet esse fundo,  
 16       arboris instar.  
 17       Quin et haec ramos posuisse laeta,  
 18       dejici clivis, Phrygiove luco  
 19       gestit ; ut velis vaga curiosis  
 20       aequora lustret.  
 21       Saxa Gaetula quoque caesa rupe,  
 22       exteri fines aditura regni,  
 23       trans maris Gades per aquosa Triton  
 24       caerula vectat.  
 25       Te piger cunis aviae relictis  
 26       inter ignotas habitare gentes ?  
 27       An super non est alibi beatam  
 28       vivere vitam ?  
 29       Alsatis tantum favet aura caeli ?  
 30       Mollis hiberno viret herba campo ?  
 31       Dulce maturi rubet una Bacchi ?  
 32       Omnia rident ?  
 33       Helvetas, felix sua sors, in altis  
 34       montium claustris, etiam beavit.  
 35       Mellis et pressi tibi manat illuc  
 36       copia lactis.  
 37       Spumeus torrens niveus colostris,  
 38       mutat undantis vada flava Rheni,  
 39       ductilis lentum natat in tenaci  
 40       caseus offa.  
 41       Sed mero pulsus Lare cogor inquis.  
 42       Vilis in pagi stabulo latere.  
 43       Sacra non aedes ibi : nulla turris,  
 44       nullaque Musa.  
 45       Sive sub plaustris habites Trionum :  
 46       sive desertae prope belluosos  
 47       Africæ saltus : ubicumque Virtus

48

hic puto templum est.

AD LUDOVICUM ILBIUM NOBILEM AUSTRIACUM. SUECO EVASTANTE GERMANIAM

03\_21 v.1      Vides : ut omni Mars Alemanniae  
                 2 incumbat, Ilbi jam casa Baucidis  
                 3        Acronianae, tota sedit  
                 4        in cineres, Jove nil vetante.  
                 5 Captiva Boii regia Romuli,  
                 6        diu sub ictu constitit Attilae ;  
                 7        experta librantem tyrannum  
                 8        vulgi animas, Senonumque lancem  
                 9        Romam requirens, Alsaticas novus  
 10        Alpes aceto subruit Hannibal :  
                 11       et jam catenato paventem  
                 12       ire Pado Tiberim laborat.  
 13        Carthago triplex. Bella Bohemiae  
 14        resumit armis. Scipio Balthicus  
 15        instat Numantinis. Tenetur  
 16        et Tenedos : Priamo timemus.  
 17        Portas Viennae claudite Dardani.  
 18        Ridemur hostem non metuit Dymas  
 19        securus, et cratera vino  
 20        Iphitus ac Pelias coronant.  
 21        Cassandra dormit : laeta Polyxena  
 22        exsultat eheu ! Deiphobi domus  
 23        dedit ruinam : nec cavebit  
 24        proximus Ucalegon favillas ?

AD D.VIRGINEM.CUM SUB VERNUM TEMPUS ANNI M.DC.XLI. SAEVA LUES TIMERETUR.

03\_22 v.1      Diva, prostrato facilis clienti :  
                 2 quae pio mulces pia vota nutu,  
                 3        et preces fusas miserorum, avara  
                 4        ebibis aure.  
                 5 Aeris crudum remove vaporem,  
                 6        hesperum mortis. Placida venenum  
                 7        luce castiga, radiisque iniquos  
                 8        discute soles.  
                 9 Sic tui laudes generis, tibique  
 10        semper haerentem puerum canemus,  
 11        laeta pallentes violas daturi  
 12        tempora circum.

AD BERNARDUM LABRUCIUM. ADSPIRANTI AD CYNICO-STOICORUM SECTAM

03\_23 v.1      Si vis, Labruci, vivere Stoicus :  
                 2 inquire primum munia nobilis  
                 3        Moresque Stoae : ne sinistram  
                 4        Clazomenes tibi vellat aurem.  
                 5 Sessor futurus perpetuum, nigra  
                 6        e fronde taxi deprime Porticum.

7        Nec, si quis ingenti liburno  
 8        Manlius, hexaphorove vectus  
 9        Lucullus adstet ; vel Macetum Deus  
 10      regale spirans praetereat, Jovi  
 11      surges apricanti rogabis  
 12      cedere, dimidioque soli.  
 13      Squalore deges obsitus, et sciens  
 14      foetere docte. Vestis, Achaicae  
 15      lodix abollae : pera, qualis  
 16      in scapulis Cynici pependit.  
 17      Vis et trinodi fuste nocentius  
 18      prodesse vulgo ? Futile dolium,  
 19      tuique testam vix capacem  
 20      in poplites duplicatus intra.  
 21      Clamosus ex hac omnibus immine  
 22      conviciator. Moribus asperis  
 23      accedat impexusque crinis,  
 24      et facies cariosa rugis :  
 25      quales anilis simia scalperet  
 26      sidente bucca. Praeterea Ceres  
 27      semesa, flos farris canini :  
 28      musque nigrae parasitus ollae, et  
 29      quae prima dos est, intolerabilis  
 30      Contemptus auri. Sin lubet egredi :  
 31      morosus emolire passum,  
 32      more domum Cochleae ferentis :  
 33      claroque solem quaerere de die  
 34      usus lucernae subsidio stude.  
 35      Sed cur fatigeris ? Viator  
 36      currat Aristoteles Athenas :  
 37      multo sedebis tutior e situ  
 38      saxum cavabis post, ubi spongiae  
 39      affixus in morem cavernae,  
 40      senseris intumuisse gibbum ;  
 41      stupere disces. Hic labor, hoc opus  
 42      punctumque honoris. Nos faciem malis  
 43      mutamus, alternis beati  
 44      ac miseri, patimurque manes.  
 45      Fletus cachinnum, gaudia posthumii  
 46      pellunt dolores. Spem minuit metus,  
 47      auget cupido. Vincit ira ac  
 48      vincitur, et redeunt amores.  
 49      Cum plebe tristes, ac madidi sumus ;  
 50      Cum plebe sicci si soboles perit ;  
 51      appetit in vultu parentis :  
 52      si pater ; ingemuere nati  
 53      vulgaris est obnoxia fluctibus  
 54      Natura, et omni vertitur Aeolo.  
 55      At tu, Labruci, semper idem,  
 56      semper eris lapidosus Hermes,  
 57      et truncus intractabilis. Omnia  
 58      In antecessum praecipe : dextera  
 59      Fortuna cognata est sinistrale.  
 60      Saepe bonis avibus recedens  
 61      male ominatos miscuit alites.  
 62      Nasceretur infans, natus et occidet.  
 63      Molesta vivet : dulcis ipsos  
 64      ante oculos morietur uxori.

65 Sed lacrimari marmoreus vetat  
 66 Chrysippus ; et Speusippus ab hispido  
 67 Zenonis induratus ore,  
 68 nec gemitum pede pressus edit.  
 69 Inter tonantes tu quoque machinas,  
 70 lapsumque fulmen stabis, ut antea.  
 71 Immotus, et perstabis usque, im-  
 72 mobilior Siculo Peloro,  
 73 ceu viva rupes, seu jaculis pluat,  
 74 seu ningat hastis : impavidus necis,  
 75 et tauriformi cuncta vultu  
 76 despicies, metuendus ipsis  
 77 quandoque Fatis. Fortis opinio  
 78 necat dolores. Finge proboscidem,  
 79 In tempus impactam, aut equino  
 80 verbere contremuisse coxas :  
 81 dices : quis, ohe, me lepidus culex  
 82 momordit ? Ictu laesus arundinis,  
 83 qua vim luporum pastor arcet ;  
 84 scirpus, io, habet iste nodum.  
 85 Constans severa fronte jocaberis.  
 86 Nimbo madentis sub scaphii quoque  
 87 paratus impleri ; vel instar  
 88 andabatae tenebras secantis,  
 89 transibis imbre multa loquentium ;  
 90 et officinas litis ; inobsequens  
 91 angore, vel cura gravari.  
 92 Haec animo : bene mi dederunt  
 93 Zenonianus vivere nil amo,  
 94 nil concupisco : non gemo non fleo,  
 95 non expavesco dii beati  
 96 haud aliter super axe vivunt.  
 97 Divumque rector. Si potes, et tuum,  
 98 Bernarde, jam nunc propositum cupis  
 99 Vurgere , rescribis. Quotannis  
 100 conveniam, et silicem videbo.

## AD ANDREAM FALCONEM. OCULORUM CUSTODIA.

03\_24 v.1 Natura castis, solibus imbuit  
 2 rudes ocellos. Prima Venus suos  
 3 infecit igni : prima sumo  
 4 virgineum vitiavit astrum.  
 5 Ex quo repertas sustulit Idalis  
 6 damnosa taedas ; et faciem sibi  
 7 descriptsit armandam Voluptas  
 8 illecebris : in amore, Falco,  
 9 ictus periti sunt oculi duces,  
 10 timenda belli sunt duo fulmina.  
 11 Et hi suas, quam vis pusilli  
 12 Scipiadae, jaculantur arcu  
 13 frontis sagittas. Quam procul avolant  
 14 periculose missilium faces !  
 15 Grassatur a visu venenum,  
 16 inque jecur maculas refundit,  
 17 ne plena noctu Cynthia verberet,

18 claudis fenestras , splendidius nocet  
 19 diurna, quae Propertiano  
 20 Cynthia digreditur cubili.

## AD HIERONIMUM CASANELLOM. TERRENIS OPIBUS NEMINEM BEATUM FIERI.

03\_25 v.1 Ne tuos jactes, Casanelle, census,  
 2 dona Fortunae leviora. Quivis  
 3 divites inter queat esse felix :  
 4 nemo beatus.  
 5 Dos, opes, fundi, pecus, aula, fasces,  
 6 nuptiae, vulgi bona sunt : sed illa  
 7 inter et temet spatirosus inter-  
 8 cedat Olympus,  
 9 meta votorum. Cave, summa dicas,  
 10 quae rubro spissus vomit Hermus amni.  
 11 Copia rerum miser est, petitis  
 12 quisquis abundat.  
 13 Qualis in ponto natat umbra montis,  
 14 ipse mons numquam : comitatur aurum  
 15 et voluptates levis umbra gaudi  
 16 gaudia numquam.  
 17 Verius gaudere cupis ? Ligatus  
 18 scinde curarum laqueos, paventes  
 19 nostra nos reddunt, aliena tristes :  
 20 utraque vanos.

## PANEGLYRICON. RUSTICANAE PUELLAE BAVARAE

03\_26 v.1 Rus ire mens est. Tu quoque florido  
 2 decore simplex, heu sine nomine  
 3 canenda Virgo, linque tristem  
 4 sandapilam melioris aevi  
 5 sponso dicatis digna cubilibus.  
 6 Quae diva pulcros edocuit dolos :  
 7 comesne venatrix Diana ?  
 8 Opis, an ingeniosa Clio ?  
 9 Virtute certe te memorabilem  
 10 ignota reddis. Cum trucis Attilae  
 11 Bellona saeviret, dolendam  
 12 virginibus meditata stragem :  
 13 procul coactis ire sodalibus,  
 14 puella nostri gloria seculi,  
 15 restabat in pago, decora ;  
 16 sed subito Getici tumultu  
 17 praeventa Martis pauper, et innocens  
 18 formaequa custos, quid faceret pudor ?  
 19 Ne vi minarum, vel protervo  
 20 militiae caperetur astu,  
 21 turpi futurus praeda libidini :  
 22 se se feretro composuit, cata  
 23 latere vel sic inter ossa et  
 24 terrificas Amaryllis umbras :  
 25 Parceque ductum naribus halitum

26 avara pressit. Dixerat : hoc toro  
 27 dum casta vivam, cur recusem  
 28 funereum simulare somnum  
 29 subi cavernam, Virgo, subi ; neque  
 30 horresce Manes, et superos tuos  
 31 sollerter indulge sepultis  
 32 sunt, et habent aliquid beati  
 33 squaloris umbrae. Certius effugis  
 34 hostem jacendo tutior invia  
 35 servaris arca funus extra  
 36 Invidiam furiasque serpit.  
 37 Quaeremur ; esto caprea fervidis  
 38 latrata votis, inveniar licet :  
 39 inventor absentem purabit ;  
 40 quo propior, minus impudicus.  
 41 Lectica Mortis nil Veneri facit.  
 42 Praeoccupavi. Fata necessitas  
 43 absolvet inceptum cadaver.  
 44 Possideo sacra jura leti.  
 45 Sic conquievit : vis canis interim  
 46 odora Sueci per scelus omnia  
 47 supinat, indagatque cervas.  
 48 Una latet, ter operta ligno,  
 49 inambulantem non sine murmure,  
 50 adesse sensit : ter facie loci  
 51 abire delusum feruntur  
 52 Funera vix tenuisse risum.  
 53 Huc huc resectis labere crinibus,  
 54 supraque castam flos Amaryllida.  
 55 Laetare dispergi : caducos  
 56 huc violae reserate nimbos.  
 57 Non bellis absit, non casiae seges  
 58 spicaeque nardi et germina Persiae :  
 59 marisque rores, et perenni  
 60 forte virens Amarantus aevo.  
 61 Haec fixa ruri gloria, posteris  
 62 miranda surgat. Quid precer urbibus.  
 63 Quarum puellae rubra gestant  
 64 dona maris, teretesque collo  
 65 cadente baccas et Tyrianthina  
 66 jactant severam in cyclade virginem :  
 67 at non et audaces procantem  
 68 fallere, deposuere sertam.  
 69 Huc huc adustis consita carduis  
 70 urtica, lappaeque et tribuli, novum  
 71 stipate. Coeptis nocte, Clotho,  
 72 stramen, et his propera coronam.

## LYRICA SUA, IN SILVIS AMISSA, INDICIO VOLANTIS SPINULI SUB ARBORE

03\_27 v.1 Sunt vates, superis, io,  
 2 curae. Vos socii, plaudite : repperi  
 3 centum carmina victimis  
 4 constatura mihi : qualibus Atticum  
 5 mactat Pythagoras Jovem.  
 6 Magna parte mei non ego gaudeam

7 inventa ? Fugiunt dies :  
 8 soles intereunt : sub celeri rota  
 9 aevi, quadrupedantibus  
 10 Velox tempus equis proterit omnia  
 11 caelo Musa tamen beat ;  
 12 vatem Musa suum grata vetat mori,  
 13 at tu, Spinule, quem vagis  
 14 mutantem nemus ac nubila saltibus  
 15 sectato, bene reddidit  
 16 seu Fortuna suam, seu Deus, arborem ;  
 17 quaesitam meritis feres  
 18 laudem : nec minimarum ex avium grege  
 19 indonatus abiveris.  
 20 Quamquam nulla tibi gratia simias  
 21 affandi volucres ; neque  
 22 certas flumineis parvus oloribus :  
 23 tantillus tamen, et places,  
 24 et major reliquis semper habeberis.  
 25 Ne se pica, loquax genus,  
 26 sturnusque aligerum conferat histrio :  
 27 aut quae Bistonium soror  
 28 luget flebilibus questa modis Ityn,  
 29 felix Spinule. Tu quoque,  
 30 in cuius jacuit depositum sinu,  
 31 subter florida brachia ;  
 32 fies nobilium populus arborum.  
 33 Hinc jam serta mihi petam  
 34 lauro posthabita : quando nec Herculem  
 35 prostratis puduit feris  
 36 albenti solio cingere tempora.

## AD VIRGINEM MATREM IN FORO MONACENSI.

03\_28 v.1 Mater, illimi generasse partu  
 2 laeta majorem genetricice natum :  
 3 huc ades, qua te simulat columnae  
 4 stantis imago.  
 5 Semper intersis Populo benigna,  
 6 quem Foro multum medio tueris ;  
 7 aureum lucens, et amicta pura  
 8 veste diei.

## IN INFANTEM JESUM.

03\_29 v.1 O nate in usum laetitiae, Puer :  
 2 o Matre pulchra Parvule pulchrior ;  
 3 eburna cujus colla, vivae  
 4 labra rosae, violaeque crines,  
 5 et bina gemmae lumina flammeae,  
 6 palam latentem virginea Deum  
 7 sub nube produnt, o venustas  
 8 clara Patris, liquidique vultus  
 9 innube verum. Quis, Puer, impetus  
 10 ab usque caelo, quaeve potentia

11        in vile rupis traxit antrum,  
 12        ad pecudes stipulasque, bruma  
 13        heu flante nudum ! Quid dubium taces,  
 14        udisque fletu nictibus absilis ?  
 15        Celare sperasti paternum  
 16        posse genus, genitumque numen  
 17        de luce lucem ? Scimus, ut Africum,  
 18        Eurumque, et Austros, et Zephyros super  
 19        Auriga Mundi tam per igneis,  
 20        quam medias equitaris undas,  
 21        tu vasta ponti, scimus, et arida  
 22        terrae replesti. Frugibus uberes  
 23        risere campi : squama flumen,  
 24        penna leves agitavit auras.  
 25        Tu, cum sereno secula fuderas  
 26        ex ore ; longis tractibus aethera  
 27        metatus, astrorum decentes  
 28        diceris explicuisse turmas :  
 29        fulvisque Solem, sed niveis genas  
 30        signasse Lunae purpureas notis.  
 31        Tu mentis aeternae figura, et  
 32        candor, inocciduique pulchri  
 33        caligo lucens. Nosceris, o Puer,  
 34        nec emicantem dissimulas Patrem :  
 35        ah ! digne non isto cubili,  
 36        digne Puer meliore lecto.

## AD ILLUSTRISSIMUM DOMINUM. LIDVINUM PICCOLOMINIUM

03\_30 v.1        Ite flantibus Notis  
 2        nautae Columbi, Noniique Blasci  
 3        ultimum, licet, fretum  
 4        laborioso permeate sumptu,  
 5        nobiles Promethei :  
 6        Jovis secundi. Primus ille praedo  
 7        nubium, sacros manu  
 8        detraxit igneis, miscuitque limo !  
 9        Vos nivalis invia  
 10        secreta ponti, fluctuante pinu,  
 11        abditosque gurgites  
 12        lustratis auri gloriaeque fures :  
 13        longa post pericula,  
 14        ipsimet olim belluis futuri  
 15        nereoque victima :  
 16        sed tende velum, gens avara poenae.  
 17        Grata me juvet quies,  
 18        et innocentis blanda cura Plectri.  
 19        Tutius domestica  
 20        per stagna puppis ambulat Minervae,  
 21        quam remota Tethyos.  
 22        Cur rubra ponti verberatur unda  
 23        remigium tot ictibus  
 24        cur transtra sudant, et frequens Iberus.  
 25        Caerulum ferit bovem :  
 26        superque vino fusiles procellas  
 27        exta porricit ? Nisi

28       ut sternat aequor, turgidasque gemmis  
 29           grandibus puerperas  
 30       piscetur, audax imminere conchis.  
 31           Dulcis his furor sitim  
 32       accendit : haec ad invias cupido  
 33           vota dicit insulas ;  
 34       impletque veris vana corda monstris.  
 35           Haec rudi docet trabe :  
 36       Spes ferre fluxas, et timere mortem.  
 37           Stulta plebs amat sui  
 38       causas doloris, limpidumque toto  
 39           axe gaudium fugit,  
 40       ignara dono turba lucis uti.  
 41           Non et Indicis ego  
 42       dignabor oris applicare cymbam.  
 43           Vixerim beatior ;  
 44       si memet ipsum navigare pergam,  
 45           proximi sinum maris :  
 46       simque ipse Tiphys, clavus, aura, portus,  
 47           ipse solus omnia.  
 48       Nulli gravabo mercibus saburram,  
 49           litorumque brachia :  
 50       nec indigebo, pauperes requirunt  
 51           multa, divites habent.  
 52       Inops fatetur esse, quisquis optat.  
 53           Non rubebo murice ;  
 54       nec erubescam. Qua foras lacerna  
 55           prodeam, quid interest ?  
 56       Pictusne tauri sordido cruento,  
 57           purpuraene sanguine.  
 58       Uterque pomi lividus veneno  
 59           arguit reos color.  
 60       Abeste curae, squalor, ira, luctus.  
 61           Solis in tenerrimas  
 62       jucunda sensim Vita stillet horas :  
 63           ut, quod est satis, velim ;  
 64       quod plus, recusem. Non acuta pectus  
 65           lancinet molestia :  
 66       non urat ulcus invidi, nec uram :  
 67           fata quo loco sita,  
 68       sinam jacere : corruente mundo,  
 69           semper integer meus.  
 70       Mecum, quod albo narrat ore Fama,  
 71           Liduine, si facis :  
 72       magnetis usu, commove tridenti  
 73           ferrei notas styli  
 74       ego monaci literas, et orbem  
 75           arte dividam pari.  
 76       Sic sensa mentis, excitata cuspis  
 77           indicabit eminus.  
 78       Aut, si poeta, non tacere mavis,  
 79           Thesprias fides, age,  
 80       simul colorem prima sparsit Eos,  
 81           Itala feri manu  
 82       mox nostra respondebit ad sonantis  
 83           Isarae vadum Chelys.  
 84       Utrumque dulcis alloquetur Echo ;  
 85           et monebit Alcyon.

86 Fori tumultum posthabere Musis,  
 87       otioque Pindari.  
 88 Mens pura semper vivit in sereno.

## AD ILLUSTRISSIMUM D. PHILIPPUM BREVANUM. CUM AUCTORI ANTIQUA NUMISMATA

03\_31 v.1 Ut cumque gleba subter Achaica  
 2 crepat refossi lamina Caesaris  
 3       detrita, Romanisque nummus  
 4       squalidus eruitur sepulcris ;  
 5 nostrate gaza carius aestimas :  
 6 placetque gemmis gravior omnibus,  
 7       concitus in vultus minutos  
 8       materiae veteris tyrannus.  
 9 Flammatus, inquis, sic oculos Nero,  
 10      sic Hadrianus, sic pater Aelius,  
 11      sic antecedentes ferebant  
 12      ora Titi solymis timendi.  
 13 Bos Julianum cornibus indicat.  
 14 Phocam securis, quam bene barbari  
 15      fastus, et atroces in auro  
 16      Stant animi ! Juvat intueri  
 17      rubiginosas saevitiae notas,  
 18      vinctaeque laurum frontis, et asperi  
 19      stellas renidentes capilli,  
 20      et trabeam, volucremque conto  
 21      supervolantem. Quadrijugos agit  
 22      en, Nerva currus vitor, et aetheri  
 23      sublimis immittit triumphum.  
 24      Ipse sedet, minioque pictus  
 25      jucunda plebis jurgia digerit,  
 26      spectante Roma, tristis, et aspici  
 27      depressus horret signa Dacus,  
 28      ante Jovis feriendus aram.  
 29 Haec curioso nuper imaginum,  
 30      Philippe, visu multus obiveras.  
 31      Inscripta mirabar metallis  
 32      signa quidem faciesque prisco  
 33      horrore fractas ; te potius tamen.  
 34 Ex quo loquentem prisca Boethium,  
 35      Gracchosque, et antiquum Catonem,  
 36      ac Fabios mihi consulares  
 37      audire visus, nil pretiosius  
 38      desiderabam. Pectore in unico  
 39      se tota spectandam Vetustas  
 40      exhibit, historiisque ludit.  
 41 Verendus annis jam prioribus  
 42      sistit, sonantem diis animam bonis  
 43      fers in senatum, viva Scauri  
 44      effigies, Thraseaeque magni.  
 45 Namque et benignus candor, et inclutae  
 46      magnaue mentis copia fulgurat ;  
 47      ruptura per quascumque nubes  
 48      consiliis, agilique telo  
 49      sagacitatis. Tu bene perspicax,  
 50      ventura tangis pollice Delphico :

51           doctusque conjectare verum,  
 52           luce frui potes obserata.

AD JOANNEM TARANDAM. IUVENEM SE SCRIBENDIS SATYRIS OPERAM DEDISSE.

03\_32   v.1     Ille ego primis jaculator annis,  
           2     certus audaci satyra ferire  
           3     Punicas aureis, inimica tandem  
           4         pila recondo.  
           5     In suas traxit Juvenalis olim  
           6     fervidum partes : rabieque sacra  
           7     imbuit venam, velut acta taedis  
           8         Volsca Mimallon.  
           9     Robur et vires, animosque et iras  
 10     Flaccus addebat sale maceratas :  
 11     Persius bilem stimulavit et Lu-  
           12         cilius atram.  
 13     Cui lacessitus timide pepercit ?  
 14     Quem tuli nostros ale provocantem  
 15     Zoilum nervos ? Quot ad usque restim  
           16         paene coegi ?  
 17     Semper armatus, gradiebar instar  
 18     Hystricis, retro mediantis ictum :  
 19     omnibus membris in arundinetum et  
           20         spicula versis.  
 21     Nunc in obliquum celeres iambos,  
 22     et Lycambeo madidos cruento ;  
 23     nunc in adversum redeunte penna,  
           24         vulnera fixi.  
 25     Mitius quondam furit orba tigris,  
 26     ante speluncam : minus Ursa major  
 27     jam bipes saevit. Minus icta calce  
           28         vipera mordet.  
 29     Flevit ultrici furiale Muffo  
 30     Taurea caesus, vomuitque flammarum ;  
 31     saeva per crassas micuere Nelli  
           32         fulgura nares  
 33     risit iratus Maracipsa moestum,  
 34     vique seposti stupuit doloris :  
 35     et femur supra posuit trementis  
           36         vincula surae.  
 37     Vappius nostros ubicumque vultus  
 38     nunc quoque incurrit, fugitivus horret :  
 39     atra ceu tristi Nemesis sequatur  
           40         terga flagello.  
 41     Dum novum morti speculatus hostem.  
 42     Cote liventes acuo sagittas :  
 43     ecce, vindictae subito resedit  
           44         dira cupido.  
 45     Defluunt arcus, subeunte molli  
 46     pectoris costas animumque sensu :  
 47     et repentinum lupus, o Taranda,  
           48         mutor in agnum.  
 49     Non libet duros iterare caestus :  
 50     languet exermi genuinus ore.  
 51     Rixa cum primis calet orta verbis,

52 cedimus ultro.  
 53 Semen irarum removere velox,  
 54 nil volat terris modo, nil Aquino ;  
 55 arduis totum sed enim Sabinis  
 56 debeo plectrum.  
 57 Quod cano, flos est, vel amica Virgo :  
 58 vel nemus sacrum, riguique puris  
 59 fontibus colles, et amans sororis  
 60 Gratia nodum.  
 61 Vivo me plenus, nihil appetendo,  
 62 neminis sternax : et utramque sortem  
 63 in sinu porro ; neque jam timendus  
 64 vitor ab ullis.  
 65 Inter admissus socios, cuivis  
 66 laesus ignosco : licet immerentis  
 67 saepe latratum caput obstrepens ca-  
 68 lumnia pulset.  
 69 Candidus morum, quotiens amaros  
 70 audio risus ? Quotiens ad arma  
 71 tardus irritor, veterem monendus  
 72 stringere versum ?  
 73 Abnego ferrum tamen, et duella.  
 74 Omnibus caecum videor cadaver :  
 75 quod viri juxta puerique pronum im-  
 76 pune supinent.  
 77 Hic manu nasum trahit : ille barbam  
 78 vellit ac crines ; maciemque magnae  
 79 consiam famae pavidus tueri  
 80 cominus audet.  
 81 Qualis Androcli leo mansuetus  
 82 fertur Albanos habitasse montes :  
 83 arva securo grege caprrearum  
 84 praetereunte.  
 85 Scilicet probris oneratus omni  
 86 dormiam vulpi ! Patiarque plebis  
 87 improbae Manes, tacitusque nulli  
 88 justa reponam !  
 89 Surge Samsones imitate, vates,  
 90 et Philisteos super ire Momos,  
 91 hinc et hinc, uno geminas tumultu  
 92 sterne columnas.

## AD DIDACUM WALORSCIUM. HUMANA VITA, LABORIOSA NAVIGATIO

03\_33 v.1 Res est seria, vivere,  
 2 Si nescis, pelagus, Didace, navigas.  
 3 Naulum, seu veheris, dare ;  
 4 temet sive vehis, pendere cogeris  
 5 vectigal domino maris.  
 6 Haesuras animo pende molestias :  
 7 quo te cumque feret Notus,  
 8 Mortis pende metum disce malis miser  
 9 occallescere nauticus.  
 10 Semper vita fuit triste negotium.  
 11 Ipsa quin adeo, licet  
 12 ad litus cinerum jeceris ancoram ;

13               in portu tumulaberis.  
 14   Tecum et fracta ratis, corpus inutile, et  
 15       membrorum lacerae trabes :  
 16       rostratum caput ac remigium manus  
 17       sentinamque uterus trahens,  
 18       cum prora, et vacui puppe cadaveris.  
 19       Scribetur super asserem :  
 20       hac fossa situs est nauta Walorscius :  
 21        unus quem superaverat  
 22       squalore ac macie terribilis Charon  
 23        in contemptor opum fuit ;  
 24       sed vitae pariter sordibus Euclio,  
 25        aeisque insatiabilis.  
 26       Cum Fatum tacitis passibus ultimum,  
 27        aegri reperet ad pedes :  
 28       questus multa deos, ingemuit rapi  
 29        immaturus, et annuam  
 30       a duris petiit caelicolis stipem :  
 31        acepitque biennium.  
 32       Atqui lustra senex bis tulerat novem  
 33        curvi vertice depilis  
 34       tandem disperiit non sine lacrima.  
 35       Ergo, o quisquis amicior,  
 36       hujus saeva freti littora praeteris ;  
 37        viso fragmine funebri,  
 38       urge flebiliter risibus hic sitim :  
 39        et moto male cespite,  
 40       obstructis tumulum despue naribus.

## AD EXULES ALSATAS. MALA QUAVIS FORTITER FERENDA ESSE.

03\_34 v.1       Ergo aut supinae saxa Tyroleos,  
 2       hirtasque rupes, nobilis Alsata.  
 3       Aut inter errabis propinquos  
 4       Helvetiae miserantis agros ?  
 5       Heu, ipse quondam gentibus horreum  
 6       commune natus : cum licuit super  
 7       pendentis autumni racemis  
 8       ducere purpureum liquorem,  
 9       ad rubra labris vina crepantibus.  
 10      Arante Sueco jugera patriae,  
 11       metente Burgundo, sedebas  
 12       ipse tui placide quietus  
 13       spectator anni, proh miseras vices,  
 14       et Fata rerum ! Ne Cereris quidem  
 15       lacuna pallentis, recocta  
 16       fruge, sitim lutulenta pellit.  
 17      Jam non in umbra, sub platanis anum  
 18       rangensis urit vinea pauperem :  
 19       nec Tusculanae dulcis uvae,  
 20       qua propior sua cuique vitis,  
 21       accendet ullas flamma cupidines.  
 22       Eheu ! Saguntum, et dira Numantia,  
 23       famesque, letumque , et cruentus  
 24       ante oculos populator errat.  
 25       It torvus exul Vinmario fugam

26 mandante : qualis colle Lucretili  
 27 depulsus, aut qua valle primum  
 28 cornua circumiere nata.  
 29 Taurus reducto pascua ruminat  
 30 linquenda visu. Stat prope candida  
 31 conjux, et armenti magister  
 32 attonitus. Nemus omne mugit.  
 33 Ne vos, Quirites, lacrima polluat ;  
 34 neu questus oris femineus sonet.  
 35 Frenate fontem : nemo vestro  
 36 inde bibens, gemitu fruatur.  
 37 Casus iniquos, et Niobe decet  
 38 vinci ferendo poste. Miser, fui  
 39 victoris ictus lambit ensem,  
 40 (more canis sibi vulnerato  
 41 medentis) et sub verbere supplicat.  
 42 Nescimus, eheu ! degeneres pati :  
 43 contraque Fortunam triumphos  
 44 ex populo reperere pauci.  
 45 Haec tota si non irruat in caput,  
 46 corpusque verset, qualiter arduus  
 47 versavit Entellus Darea,  
 48 ante bovem super arva fusum ;  
 49 nondum peristi. Quisquis es Alsata.  
 50 Resume vires, extrahe spicula,  
 51 contemne proscribi : memento  
 52 omne solum patriam esse fortis.  
 53 Tuaene lato vis Ithacae focum  
 54 praeferre mundo ? Rumpere pertinax  
 55 adversa, servatos Penates  
 56 fer per aquas cineresque tecum.  
 57 Hoc creber Anglus sole Britannico  
 58 diductus, hoc et dux Telamonius  
 59 tentavit, Anchisaeque sanguis  
 60 per Tyrios Rutulosque sparsus.  
 61 Quisquam paterna destitui gemis  
 62 tellure ? Numquam vir bonus exsulat.  
 63 Vindemia ? Sed dulce mustum  
 64 intra animos fluit, atque venas  
 65 liquens honestum volvere turgidas.  
 66 Haec summa : virtus quem comitabitur  
 67 abire compulsum Brisaco,  
 68 exsul adhuc retinet Brisacum.

AD SIMONEM RUSSUM.UTOPIA.SIVE SOMNIUM DE FELICITATE MUNDI.ANNO M. DC. XLI. . . .

03\_35 v.1 Portor in regnum genialis aevi :  
 2 vallibus pronis ubi complicatae  
 3 imminent silvae, reteguntque magnos  
 4 jugera campos,  
 5 quidquid optarunt avidi parentes :  
 6 quidquid in primis habuisse votis  
 7 fertur indulgens Epicurus ; unum  
 8 fluxit in hortum.  
 9 Sponte se tellus aperit viretis  
 10 laeta, nec durum patitur ligonem.

11 Arva naturae manus elaborat  
 12 absque labore.  
 13 Omnis in fruges Veneremque turget  
 14 gleba fecundo satiata rore.  
 15 Uxor Autumni, gravidis tumet vin-  
 16 demia mammis.  
 17 Illa maturo redimita serto,  
 18 pinguibus quamvis fluidam racemis  
 19 provocat Lesbon Rhodiumque Solem, et  
 20 molle Tarentum.  
 21 Quodque mirabar : manibus, vel ore  
 22 palmes incisus, minui negabat.  
 23 Purpuram sectae nova semper uvae  
 24 induit uva.  
 25 Aequor undantes Cereale ventis  
 26 commovet spicas ! Tumidosque messor  
 27 navigat culmos, resecatque flavas  
 28 falce procellas.  
 29 Fontium vidi genus insolentum  
 30 vitreis audax pedibus salire :  
 31 et super, laetum vitulante lympha  
 32 pascua ferri.  
 33 Imples exundans alibi paludem  
 34 immemor trunci favus : unde centum  
 35 stagna, neququam minuenda, crasso  
 36 nectare pallent.  
 37 Trans lacum mellis, riguosque saltus,  
 38 edito clivus cumulo superbit  
 39 arva despectans, viridesque tollit  
 40 vertice cristas.  
 41 Consitus cedris locus ac cupressis,  
 42 arduum dextro caput iliceto  
 43 jactat obversum ; gracilique caelum um-  
 44 bone salutat.  
 45 Quo simul pennis (agitare pennas  
 46 mobiles somnus dabat) evolavi :  
 47 colle devexo lepidae tuebar  
 48 regna Napaeae.  
 49 Rauca mugitu sonuere saxa :  
 50 quae sub umbrosis habitata silvis  
 51 buculas servant, placidique festos  
 52 sideris haedos.  
 53 Quo vagos laetus fero cumque gressus :  
 54 viva pinguntur, varioque prata  
 55 Flore pubescunt ; oculusque vernat  
 56 plurimus Argi.  
 57 Spina securo simul ungue tacta,  
 58 mitis ejecit, rosa facta, bilem :  
 59 nec sui Cypris potiora liquit  
 60 signa doloris.  
 61 Pervios vento subeunte ramos,  
 62 musici cantu strepuere luci.  
 63 Addidit flexus, liquidamque vocem  
 64 Daunias ales.  
 65 Cujus intentus veteri querelae  
 66 Tereum toto resonantis agro :  
 67 ceu tuis sollers, Ariadna, filis  
 68 ducor in aulam.

69 Nixa centenis Nomadum columnis.  
 70 Tota surgebat domus in smaragdos.  
 71 Lucidi vultum referebat auri  
     levis imago.  
 73 Obviae dicta Charites salute,  
 74 sericam mensae posuere mappam :  
 75 mensa berillis, solidoque scintil-  
     labat ab Herme.  
 77 Larga, successu superante votum,  
 78 vina fluxerunt, maduere nardi :  
 79 anser, et circum volitavit ora  
     tosta coturnix  
 81 Russe, vis finem ? Fueram beatus.  
 82 Quando me Morpheus abiit relicto :  
 83 heu, simul divum citharis canorus  
     vanuit aer !  
 85 Qualis humanae fugit umbra vitae !  
 86 Somnium laeti vigilamus omnes.  
 87 Obruunt mentem peritura vano  
     gaudia fluctu.  
 88

## AD BERNARDINUM GRAFFAM. AMNISTIA.

03\_36 v.1 Lethen bibendum suadeo, non Styga.  
 2 Oblivionis ducere poculum ;  
 3      et cum remordentes lacessunt  
 4      invidiae, pepulisse sensum  
 5      injuriarum ; fortiter utile est,  
 6      pulchre severum. Femina tristius  
 7      irata vindictam veneno  
 8      incoquat, hippomanesque saevum  
 9      Medea tentet. Parce tenacibus,  
 10     vir, prima clavis figere vulnera.  
 11      Laesus furentem contumaci  
 12      proposito crucia silendi.  
 13      Exulceratur plaga nocentius  
 14      infossa fibris : quam simul eximis,  
 15      simul manum placatus offers,  
 16      ore nitens, hilarique risu.  
 17      Culpatur olim Juno profundius  
 18      odisse Troas. Manserat altius  
 19      pomo negato spreta forma, et  
 20      judicium Paridis repostum,  
 21      tu, Graffa, nolis cruda remandere  
 22      amarulenti semina corticis.  
 23      Nolis querelarum feracis  
 24      assiduus meminisse morbi.  
 25      Sed, aut in udo gramine lividum  
 26      fallas dolorem, dum Zephyri tepent :  
 27      aut cordis insanum leonem  
 28      arte mea, citharaque sistes.  
 29      Hoc more Brutum vicit Iulus.  
 30      Hic Ferdinandos evehit ad Deum.  
 31      Superbus ignovisse, solum  
 32      se stimulat, timidisque votis  
 33      indulget amens. Surdus ad aspera,

34 audire laudes jam meritas potest.  
 35 Diis conferendus calcat orbem,  
 36 qui penitus sepelivit iram.

## AD PAULUM CURMIONEM. CUM MILITES ABDITAM EIUS PECUNIAM...

03\_37 v.1 Quod Suecus aurum portitor abstulit,  
 2 raptique lammes classibus integras  
 3 avexit argenti ; sonoro  
 4 astra feris ululata questu,  
 5 addicte lucris Curmio : rectius  
 6 facture nunc, si trans mare Balthicum et  
 7 saevum relegares dolorem,  
 8 atque metus, gracilesque curas,  
 9 si cum Molorchis laetus egentibus,  
 10 malles honesta pauperie frui.  
 11 Avulserit pirata nummos  
 12 Barbarus, abstuleritne ; refert.  
 13 Quid damna defles ? Ille beatior.  
 14 Non qui capaci plura tenet manu :  
 15 sed cui petenti pauciora  
 16 imo nihil, videatur orbi  
 17 Fortuna prorsus numen inutile.  
 18 Offert coronam ? Ni cupias, habes.  
 19 Desiderata qui potitur,  
 20 paene caret. Cupisse magna,  
 21 magna est egestas. Nil pete, et optimum  
 22 aequas deorum. Quidquid id est, tuum  
 23 te, Paulle thesaurum, retenta  
 24 mente bona, nego perdidisse.

## SOLLICITUDO AUCTORIS DE NOMINE B. MARIAE VIRG

03\_38 v.1 Saepius Nymphae mihi dulce nomen.  
 2 Sed nimis velox, metuensque sisti  
 3 conor amplexi, roseisque vatum  
 4 stringere vinclis.  
 5 Heu, meam fortem ! Toties fugaci  
 6 ocior Daphne, properante passu  
 7 vota praevertit, celerique gyro e-  
 8 ludit hiantem.  
 9 Utque depresum rear, et canendi  
 10 Gloria plenus Maria alta clamem ;  
 11 exserit Tethys caput, et vocari  
 12 se mare credit.  
 13 Conde, delusus repeto, marita  
 14 conde Neptuni fluitantis aures.  
 15 Maximo frustra titulo superbis  
 16 credula Nais.  
 17 Alteram luctor cohære pictis  
 18 carminum sertis : licet usque tardent  
 19 litterae flecti, fugiatque nostras  
 20 syllaba leges.  
 21 Quod magis mirer : tamen illa Virgo

22 mitis incedit : neque contumaces  
 23 asperat vultus, neque dedicatis  
 24 vatibus obstat.  
 25 Adde : quod nostras aliae Camoenas  
 26 ambiunt famae celebris puerilae ;  
 27 et suum gaudent faciles petenti  
 28 mittere nomen.  
 29 Adde : quod dotem mihi pollicentur :  
 30 Caecilis plectrum, Basilissa regnum,  
 31 Margaris gemmas, teretemque baccam,  
 32 germina conchae ;  
 33 Musa caelestes hederas pudici  
 34 pectoris laurum generosa Costis :  
 35 et librum fortis minio rubentem, ac  
 36 pumice rasum.  
 37 Clara promisit diadema solis :  
 38 Euphrasis stacten, oleique bullam  
 39 casta Walpurgis : grave vellus auro  
 40 nobilis Agnes.  
 41 An tuum, Mater, jaculum, Teresa,  
 42 alitis sacro rutilum pyropo ;  
 43 an tuae malim volucres sagittae,  
 44 Ursula, pennas :  
 45 munieris tanti bene reddor anceps.  
 46 Me juvat saltem memorare gratas  
 47 virginum palmas : juvat annuentum  
 48 laudibus uti.  
 49 Una se nullis sinit illigari  
 50 liberam metris, Helicone major.  
 51 Una centenas gerit inter intra-  
 52 ctabile nomen.  
 53 Forte vult cogi. Quid agis, poeta ?  
 54 Saepe, quod numquam pudor assecutus :  
 55 coepit audendo violens amator  
 56 ruris alumnus.  
 57 Hoc placet. Nolo nimis esse comis.  
 58 Vos novercales tetricaeque leges,  
 59 ite ; quas olim citharae severus  
 60 sanxit Apollo.  
 61 Quamlibet Graii Latique vates  
 62 rideant, dicam : mihi cumque salve.  
 63 O pia, o clemens, o in ore dulcis,  
 64 Virgo Maria.

## M. P. WIGONIS GRAVISSIMAS CONSIDERATIONES DE TRANQUILLITATE ANIMI

03\_39 v.1 Si Paulus gladium dedit,  
 2 servi ridiculus quo mihi pugio ?  
 3 Qui vultus nitidos cupis  
 4 naturae, vacuis discere sensibus ;  
 5 et rebus male splendidis  
 6 fallacis folium demere bracteae ;  
 7 Wigonem lege. Ne mihi  
 8 occurant solito murmure Stoici, et  
 9 simi Cochleolas Phrygis,  
 10 fumantemque nigro lumine lampada :

11       neu cassas cerebro nuces  
 12       barbati pueri spargere gestiant.  
 13       Odi torva crepundia, et  
 14       pompam stultitiae nominis additam,  
 15       et ridenda tonitrua.  
 16       Caeci Tiresiae, Pythagorae truces,  
 17       vano nomine Pittaci :  
 18       vitam Cecropis sordibus inclutam, et  
 19       ventosum siliquae genus,  
 20       incoctaeque fabis vasa scientiae,  
 21       et frontes adamantinas  
 22       contra fata crepant, non sine lurido  
 23       fastu, nec tolerabili.  
 24       Iidem degeneres oris, et horridi  
 25       culpis mollibus, arduam  
 26       virtutem resonant, sed vitiis tument,  
 27       irritarier ignei, et  
 28       sopitam faciem fingere callidi,  
 29       Aetnam mente coquunt : simul  
 30       intra tabifica bile nigrantia,  
 31       vindictae canis appetens  
 32       exercet rabiem viscera Sirius.  
 33       Calvi, cedite, Stoici.  
 34       Non et Wigo meus talis ad aethera  
 35       fertur, per nebulae globum.  
 36       Pura luce micat : lenis et efficax,  
 37       et verbis placide potens,  
 38       verum grande monet. Certius arguit  
 39       errores praeeuntium :  
 40       acceditque facem pone sequentibus.  
 41       Contentus medio tamen,  
 42       riparumque memor semper, et Icari,  
 43       nec rerum nimius fluit,  
 44       nec stillat modicus : nec volucrem Polo  
 45       cursum dirigit altius.  
 46       Veras, inquit, ama divitias, Dei,  
 47       mens immane capax : opes  
 48       te dignas, et eo cuius imaginem  
 49       jam divis propior geris.  
 50       Cur larvis inhias ? Quid cupide vaga  
 51       vilem spargeris in pilam,  
 52       frustis, qua recidit, dissilientibus ?  
 53       Felix, qui nihil aestimat,  
 54       nil mortale petit : perpetuum suus,  
 55       numquam subditus infimis,  
 56       voto deme tuo, quod cupis additum :  
 57       brutas siste cupidines.  
 58       Intra te melior pars Asiae jacet :  
 59       et cum litoribus maris,  
 60       Europaeque sinum claudis et Africæ,  
 61       dives censibus integris ;  
 62       quos olim, stabili jure, fidelius  
 63       pendes ipse tuus tibi,  
 64       quam Fortuna daret fallere pervicax.  
 65       Paucis accipe plurima.  
 66       Si quid majus habes, quam quod es ; omnia  
 67       uno sub radio tenes.  
 68       Sin illud minus est ; pauper es omnium.

## IN PUERUM JESUM, ET EIUS VIRGINEM MATREM, CARMEN SAECULARE

03\_40 v.1 Formosum, pueri, dicite filium,  
 2 matrem virgineam dicite Virgines :  
 3 dignatosque sonari  
 4 summis tollite laudibus.  
 5 Hunc laetum foliis vertice consitis :  
 6 nam palmae virides assimulat comas,  
 7 fragrantemque racemis,  
 8 et myrtha bene flebili.  
 9 Illam nexilium stemmate siderum  
 10 orantem, et roseis tempora taeniis :  
 11 et stillantis inunctam  
 12 nardi divite spiritu.  
 13 Hic vobis, pueri, chrysolithum dabit,  
 14 candentemque novo nomine calculum ;  
 15 vestris illa, puellae,  
 16 ridens annuet osculis.

## IN FUNERE SERENISSIMI PRINCIPIS IOHANNIS FRANCISCI CAROLI DUCIS

03\_41 v.1 Ibam te meritis, Carole, laudibus  
 2 exornare : sed, heu ! versa (quid ominer ?)  
 3 in luctum subito dissiluit mea  
 4 abruptis fidibus lyra.  
 5 Vix ingressus iter, prata subiveram  
 6 Ostingae veteris : cum mihi nuntius  
 7 fatum triste refert, et velut hostica  
 8 aureis cuspide vulnerat.  
 9 Quos non tunc gemitus pectoris edidi ?  
 10 Ergo flende, jaces ? Nec cithara queas  
 11 admota tumulum rumpere floridum et  
 12 surdis manibus eripi ?  
 13 Multis, ah, nimium flebilis occidis :  
 14 nulli flebilior, Carole, quam Patri.  
 15 Is totam solita luce parentia  
 16 frontem in lumina contrahet.  
 17 Nam quem non moveat nomen, et indoles  
 18 tam cari capit is ? Cui pudor, et fides,  
 19 et morum facilis temperies, decus  
 20 rari miscuerunt ducis.  
 21 Virtus ipsa float. Fige tamen modum  
 22 maerori, Genitor : desine funebris  
 23 jam nunc tristitia, et pone tumentibus  
 24 tandem litora lacrimis.  
 25 Praemissus placito Filius ordine,  
 26 non amissus obit : nec revocabilis ?  
 27 Seu luctum ingemines, seu querula chely  
 28 tentem fata recludere.  
 29 Ac, si vera sequar, non redeat libens.  
 30 Felix ille diem nunc alium bibit :  
 31 et laetus pluvias, atraque nubila  
 32 sicco ridet ab aethere.

## AD SEPTEMVIRALEM EXERCITUM SERENISSIMI DUCIS BAVARIAE

03\_42 v.1 Quo proeliamur, Teutones, auspice ?  
 2 Divisa cuius nomine tessera  
 3 praeferunt in castris tribuni ?  
 4 Quis gladios acuit retusos ?  
 5 Martinus armis Pannonia favet :  
 6 se Ludovicus Francia devovet :  
 7 Jacobus Hispanis triumphum,  
 8 visus ego jaculator albo.  
 9 Terrere Mauros , annuit, o tibi,  
 10 quicumque pugnas, addere praesides  
 11 divos memento ; nec cruenta  
 12 sacrilego gere bella ferro :  
 13 sed expiatam caelitibus manum  
 14 committe fidens : ne Capaneus tuos  
 15 velis adorari lacertos.  
 16 Impius haec male culta jactat  
 17 contemptor olim numina, fulmine  
 18 punta fixo, quod medius poli  
 19 exceptit, incumbensque scalae  
 20 Ogygias super usque turres.  
 21 Quod si patronum quaeris idoneum,  
 22 Germane miles ; deinceps Bistona  
 23 scutis Gradivum . Major illo,  
 24 Cantabricis oriundus oris  
 25 Lojola , fausti plenior ominis  
 26 dux eligatur. Scimus, ut edita  
 27 in arce decertarit, ipsi  
 28 in media quoque visus ira  
 29 laudandus hosti. Sive patentibus  
 30 conserta campis agmina rumpere :  
 31 seu murum, inaccessasque cautes  
 32 egregio superare saltu  
 33 deliberasti : provehet insitae  
 34 Virtutis igneis ; et patulas viam  
 35 monstrabit ad portas sequenti  
 36 ille truces animos calore,  
 37 suique flamma pectoris imbuet :  
 38 contraque nimbos sulphure fusiles,  
 39 ac tela persulantis Hunni.  
 40 Marmoreas dabit esse frontes.  
 41 At non volucri grandine saucios  
 42 curare nescit, vulnere tardior  
 43 et ipse quondam, Pompealone  
 44 genua ducis feriente saxo.  
 45 Ergo ferocem quisquis anhelitum  
 46 thorace presso, vel galea trahis :  
 47 moturus in Suecos , prius Bel-  
 48 troniadem venerare supplex.  
 49 O cui recepto sidera militant,  
 50 ensemque Orion commodat aureum :  
 51 postquam sacramento solitus  
 52 emeritum, tua bella ferrum  
 53 cristasque et iras ponere laetior,

54       sacra Magnae cingula Virgini  
 55        in Monte Serrato dicasti,  
 56        si veterem propiore vultu  
 57       dignaris artem : da modo frangere  
 58       superba Finni cornua : da fugam  
 59        cedentis ex pugna videre ;  
 60       tergaque, pulvereosque tabo  
 61       foedare crines. Sic Gedeon meis  
 62       scribere signis : sic spolium tholo  
 63        virtutis appendam, quod omni  
 64       Teutoniae memoretur aevo.  
 65       Consurge miles : sat precibus datum,  
 66       intende nervos, consere dexteram,  
 67        invade prostrantes Alanos,  
 68       et gladium cave ferre siccum.  
 69       Inlaeta vergit Cantaber omnia.  
 70       Secunda caelum proelia sospitat.  
 71       Tu rite promissum tropaeum, et  
 72       munera cras referes ad aram.

## DE SPINULO SUO.

03\_43   v.1       Quod nec psittacus audeat,  
 2       nec Phoenix patrii de cineris rogo  
 3        heres ipse sui neque  
 4       Junonis volucer gemmeus impetret ;  
 5        audes, delicium meum,  
 6       me turbare canentem imperiosius,  
 7        Siren rustica, Spinule :  
 8       ales nequitiae dulcis et ingeni  
 9        seu furatus amygdalam  
 10      pennis cum repeto, stridulus emicas :  
 11        seu rostro digitum adipetis  
 12      infusum citharae : nec sinis ultimas  
 13        primis jungere vocibus ;  
 14      et quandoque tuam protrahis eclogam  
 15        seu te gurgite proluis,  
 16      et mox unguiculis molle fricas caput,  
 17        ut collo redeat lyra  
 18      et plumae veteris temperies metri,  
 19        concinno super aequore.  
 20      Quamquam pectine dum comeris, annus est.  
 21        Tantum forma negotium.  
 22      Fluctus tot subigis, rursus ut excites.  
 23        Huc, o noster, ades, nihil  
 24      virgati metuens carceris ostium.  
 25        Non captivus enim domi.  
 26      Sed saltu teretes per radios vago  
 27        lascivis in arundine  
 28      en florem mylia corripe femina,  
 29        ruris innocuas dapes,  
 30      at secura necis grataque fercula.  
 31        Sic vivas avibus bonis.  
 32      Post cum non rigido candida pollice  
 33        pennam vulserit Atropos :  
 34      (Parcae et vestra secant stamina, si vetus

35                 Smyrnae fabula creditur)  
 36         componam violis mollibus, et sacris  
 37                 funus Pieridum rosis,  
 38         addam perpetuum serta virentia :  
 39                 donec Melpomene soror  
 40         Parnassi riguis collibus inferat.

## AD JULIUM TAMERINAM. EPHEBO AULAE CONDITIONEM ET OFFICIA SECTANTI

03\_44   v.1     Quando sors montem tua scandit altum :  
 2                 ne tamen valles animus relinquat,  
 3                 tutus in plano, Tamerina , vives :  
 4                 tutior imo  
 5                 qui serit jacto per inane plausu  
 6                 aeris campos, stolide laborat.  
 7                 Auream messem licet ex novali  
 8                 speret honoris :  
 9                 fallitur. Numquam levis aura semen  
 10                 tale maturat Iolio remistum  
 11                 dedecus crescat, vel egens opimae  
 12                 laudis arista.  
 13                 Certius falcem jacit imperanti  
 14                 terga submissus. Metet ille pulchras  
 15                 gloriae cristas, cui nulla toto  
 16                 vertice surgit.

## AD SERENISSIMUM PRINCIPEM. ALBERTUM SIGISMUNDUM UTRIUSQUE BAVARIAE DUCEM.

03\_45   v.1     Et ante Phixi nobilis aureum  
 2                 vellus, sorori non bene subditum,  
 3                 balantis increvit per agros  
 4                 cura gregis, numerosa censu,  
 5                 secura vitae. Nulla beatior  
 6                 pastoris aevo, nullaque tutior  
 7                 Fortuna, quam pax, et serena  
 8                 pura Quies comitatur aura.  
 9                 Non Martis illum classica, non fori  
 10                 terrent severis limina jurgiis.  
 11                 Urbs, solitudo magna : totus  
 12                 orbis, ei nemus explicatum.  
 13                 Stat in viretis Curia mitior,  
 14                 curasque pellit litibus invia.  
 15                 Evincit umbrosum cubile,  
 16                 herba tenax redimitque somnum  
 17                 hic solis arcum vitat, et imminens  
 18                 telum retundit : dum rota fervida  
 19                 declinet a fagis, et altos  
 20                 Vesper equos moneat relabi.  
 21                 Ipse in lacertis vel salicum jacet :  
 22                 vel lene sacrae propter aquae caput ;  
 23                 nullo lacunari gravatus,  
 24                 nec subitae metuens ruinae.  
 25                 Dapes inemptas fraga rubentia,  
 26                 spumansque presso lacte coagulum :

27        hoc, praebet uber ; ista, tellus  
 28        sponte sua, nec avara doni.  
 29        Silvanus unum numen, et unicum,  
 30        et exiturum cum grege candido :  
 31        simul liquenti cana rore,  
 32        arva madent, animosque tollunt,  
 33        qua pinguis humor praefluit Isarae.  
 34        Hic jam calore cedere, jam pecus  
 35        mersare pellitum secundo  
 36        amne juvat, pavidaeque foetum  
 37        praeferre matri. Clarius interim  
 38        ventis loquuntur flantibus arbores.  
 39        Quercum salutat prona quercus,  
 40        contiguam soror alnus alnum.  
 41        Aves amico foedere consonant.  
 42        Exercet omnis filia carminis,  
 43        quod matre nidorum docente,  
 44        mane novo didicere rostra.  
 45        Si vera lactant gaudia ; talibus  
 46        priscos opinor deliciis avos,  
 47        quamquam tenerent summa rerum  
 48        ad pecudes potuisse cogi.  
 49        Pascebat agnos alter Adamides,  
 50        vocalis Abel gloria sanguinis.  
 51        Ducebat ad fontes, decora  
 52        quem nimio facies Rachelis  
 53        amore torsit. Cuique Deus sua  
 54        semper cupido est. Ille binominis  
 55        gener Labani, cordis aestum  
 56        aestibus opposuit diurnis.  
 57        Formosa merces ! O quoties sibi  
 58        desponsa flagrans, praemia, dixerit  
 59        cum sera nondum nox subiret ;  
 60        ite domum, saturae bidentes !  
 61        Quin ipse Moses ludere fistula,  
 62        Moses avenam scindere disparem  
 63        norat, suos pavisse felix  
 64        et socii Raguelis haedos.  
 65        Dicam et Davidem saepe sub arbuto  
 66        distenta caprarum ubera regiis  
 67        pressisse palmis. Ille canna  
 68        Menalium tenuare ventum  
 69        sollers, amoena scilicet ecloga  
 70        fallebat horas : non ideo lupos.  
 71        Arcere segnis, tam leoni,  
 72        quam rapidis metuendus ursis.  
 73        O ergo Magni nominis infulam  
 74        sumpture, Princeps : cum tibi fertilis  
 75        Frisinga silvarum comantum, et  
 76        irriguo pecorosa saltu,  
 77        pastoris ingens annuerit pedum :  
 78        Alberte Sexti, pasce tuas oves :  
 79        ne sit pudori, languentes  
 80        impositas humeris tulisse :  
 81        neu viperinum pellere vividis  
 82        morbum scatebris. Hoc quoque Carolo -  
 83        mannus sub exemplo perennat,  
 84        et patriis celebratur oris.

85 Illum Menalces et Corydon adhuc  
 86 Thyrsisque cantant illius inclutum  
 87 florere nomen Celta vidit  
 88 siderei foliis in Horti.  
 89 Dum stant virentis Taygeti juga, et  
 90 nullis Amyclae collibus invident :  
 91 illum Palesque, Panque, et omnes  
 92 Arcadiae sonuere montes.  
 93 Sed et tuarum germina Cedrinis  
 94 laudum Philagnes et titulos libris.  
 95 Jam notus incidet ; regenti  
 96 Parthenios tibi qui sodales.  
 97 Praelusit olim forsan in Italis  
 98 cantatus odis serta merebere  
 99 Romana : supremusque Daphnis  
 100 purpuream dabit ire lanam.

## AD JOSEPHUM CASTULUM. FASTIDIRE SE, QUAE VULGUS APPETIT.

03\_46 v.1 Est et nescio quid viti  
 2 in rebus nitidis, et phalerae movent  
 3 et cristae mihi taedium.  
 4 Delectant aliquos cymbala gloriae, et  
 5 splendens murice pagina :  
 6 ut ne vota quidem dissimulent sua.  
 7 Gratos clam juvat alterum  
 8 venari titulos, et resonantia  
 9 famae murmura tinnulae  
 10 laudari fugiens, non renuit, cupit :  
 11 atque hoc ni facias, furit ;  
 12 sollers insidias, pulchraque retia  
 13 claro tendere nomini.  
 14 Frons atrox patulis obstat honoribus.  
 15 Nec lenocinium foras  
 16 Mittit, cauta sui. Totus in intima  
 17 mentis sede latet procus  
 18 sunt, quos non dubiis utile cladibus,  
 19 delatoris onus levat,  
 20 observant alios, ut faciant nefas  
 21 formosum pueriliter  
 22 buccis res agitur non mediocribus,  
 23 argutoque silentio  
 24 Gaudentem populo vendere classica, et  
 25 caeli non humiles minas :  
 26 nullis dimoveas conditionibus,  
 27 Aeternum cochleam suae  
 28 haesuram cathedrae. Fervidus imperi  
 29 plures fascinat ambitus,  
 30 huc fingit faciem, navigat huc cliens,  
 31 ventorumque rogat patrem :  
 32 ne praeter graciles ullus Etesias  
 33 salso spiret in aequore.  
 34 Naxon rector, io, sic placide subit,  
 35 clavum vertere callidus.  
 36 Portum tangit, io fata bonae spei.  
 37 Votorum reus hinc ligat

38 malum et pampineis carbasa floribus.  
 39 Ara in litore sternitur,  
 40 mactaturque caper victima libero,  
 41 inter festa celeumata.  
 42 Atqui non ego sic. Praefero, Castule,  
 43 quernam sedibus aureis.  
 44 Tanti sit solium, et flebile suspici ?  
 45 Et claves madidae mero.  
 46 Spes ignobilium lubrica mentium ?  
 47 Et post velivolos metus  
 48 mendicata, mari stante, triennia ?  
 49 Fallax cede potentia,  
 50 morosisque scatens pompa negotiis.  
 51 A curis habitem procul,  
 52 numquam sollicitus sceptra capescere.  
 53 Subdi velle, placet. Regit  
 54 Rex, Caesarque sui. Qui bene paruit,  
 55 tanto latius imperat ;  
 56 permittitque Deo credulus omnia

## ENTHUSIASMUS. AUCTOR PROPE CAIRUM, CONSCENSA PRIMAE MAGNITUDINIS PYRAMIDE

03\_47 v.1 Vestro, Camoenae, vester in ardua  
 2 tollor supinus munere culmina :  
 3 aurasque paulatim et tenaces  
 4 scindo vias, subeunte vento.  
 5 Quis iste currus ? Jamque adeo super  
 6 praerupta totum despicio novus  
 7 Stylita regnum. Dulcis, io  
 8 prodigii geminata crescit  
 9 tanti voluptas. Intuor eminus  
 10 remota longe, tamquam oculis prope  
 11 ingestas nostris. Cuncta cerno :  
 12 posse datur numerare vicos,  
 13 o Tybri, cessa Pyramides tuas  
 14 jactare Nilo Roma nihil, nisi  
 15 collata verrucas, et arces  
 16 exiguae habet : inque septem  
 17 erecta montes, sic quoque vincitur.  
 18 Nil Adriani proficit, aut Titi ,  
 19 Magnique , Trajanique moles.  
 20 Conde tuos pudibunda, nanos,  
 21 quos intulisti moenibus Ilia.  
 22 Immane structis alta Gigantibus  
 23 contemnit Aegyptus columnas :  
 24 et trepidis caput invidendum  
 25 immittit astris. Quem pedibus premo,  
 26 subjecta late despicit, et procul  
 27 auras ab humano recessu  
 28 mons lapidum fabricatus intrat.  
 29 Hinc si sagittam jecero missilem,  
 30 labetur intra pyramidis pedem :  
 31 et quae cadit projecta cono,  
 32 non feriet tamen umbra campum.  
 33 Quocumque mentis lumina quattuor  
 34 intenta Mundi conicio plagis ;

35       arcana rerum se novarum  
 36       et veterum monumenta pandunt.  
 37       En, illud alti nominis est mare  
 38       ab usque Erythro rege, celebrius  
 39       a Mose factum : cum recessus  
 40       per medios sua castra duxit.  
 41       Hinc molle marmor stabat euntibus  
 42       turmis et illinc : nec refluo prius  
 43       suspensa mirantes per auras  
 44       Moenia detumuere ponto ;  
 45       signum tremendae quam Thetis horrida  
 46       virgae notasset tum vitrei freto  
 47       labente subsedere muri :  
 48       Inque caput pharaonis uno  
 49       mersum ruerunt fragmina gurgite.  
 50       Viri sequentes Isacidum ducem,  
 51       equique et armati profundis  
 52       fluctibus interiere currus,  
 53       En, illa magnae rudera regiae :  
 54       quam Lagus Auctor, quam Dionysius ,  
 55       et vanus Auletes et ingens  
 56       incoluit Ptolomaeus olim.  
 57       Hic, qua tepentes luxuriant aquae,  
 58       et ripa stratos marginibus toros  
 59       inducit, herbarumque molles  
 60       accubitus ; Cleopatra quondam  
 61       vixisse fertur. Nil opulentius  
 62       sol hujus aula viderat aurei  
 63       fulsere postes lata crasso  
 64       trabs ebeni radiabat auro ;  
 65       aureum lacunar. Sparsus in atrium  
 66       gressus achates impositos tulit :  
 67       testudo mensas, hae smaragdum.  
 68       Tota domus elephante secto  
 69       candebat eheu ! Non iterum fleat  
 70       Xerxes , ab alto monte volubilis  
 71       spectator aevi. Quanta nubes,  
 72       omnigenumque hominum procella  
 73       passim in plateis volvitur, unico  
 74       perdenda saeclo ! Nunc ubi sunt opes  
 75       tantae, renidentisque bacas  
 76       in pretium jugulata vini ?  
 77       Ubi procacis sunt Ptolemaidos  
 78       villaeque et horti ? Gemmiferis ubi  
 79       laudata venis prisca Coptos ,  
 80       et veteris facies Abydi ?  
 81       Perenne nil est, Arsinoe ferax,  
 82       dives Syene pulchra Diospolis.  
 83       Bubastis alta, docta Sais.  
 84       In tumulos abidere pulvis  
 85       chordae sonantes Memnonis et Magus  
 86       obmutuerunt : vos quoque Tentyra,  
 87       jacetis in palmis sepulta.  
 88       Vix superest meminisse vestri.  
 89       Franguntur aevi dentibus omnia,  
 90       Memphis, Cairo cessit et haec ruet,  
 91       et urbs Alexandri per orbem  
 92       clara tuis, Philadelphe libris.

93 Quippe et Colossis excidium sua  
 94 decrevit Aetas, innumerae jacent  
 95 urbes, supinatis humatae  
 96 turribus : antipodesque silvae  
 97 deicta cum radice cacumina  
 98 stravere terris. Nulla Melampodes  
 99 Pelusiotae, non caducis  
 100 ulla fides scopolis habenda.  
 101 Haec ipsa Rupes cui prope sidera  
 102 insisto, vana Sisyphiis manu  
 103 exstructa saxis : fracta demum  
 104 mole sua Pharios ruina  
 105 insternet agros. Quis furor est, levem  
 106 odisse terram, et funeribus grave  
 107 onus superstruxisse, pejus  
 108 ut jaceas ? At enim loquentes  
 109 audire Bojos et videor mihi  
 110 videre portam mobilis Isarae.  
 111 O macte vates in Canopo  
 112 tot populos fluviosque latasque  
 113 emense terras. Me subito mea  
 114 mens ex remotis finibus ultimae  
 115 reduxit Aegypti monacum.  
 116 Quam celeres habet illa pennas !

## ILLUSIO POETICA.

03\_48 v.1 Quis meum supra caput urget auro  
 2 illitus pennas ? Quis ephebus astris  
 3 concolor, nemax mihi cumque fingit  
 4 ferre coronam ?  
 5 Ille diductis revolutus alis  
 6 ter quater plaudit : taciteque propter  
 7 verticem lapsus posito renidens  
 8 stemmate fidit.  
 9 At simul vano manus ausa motu  
 10 tendit in laurum ; fugit et cachinno  
 11 Lene succusso Puer ales elu-  
 12 ctatur in altum.  
 13 Quisquis, o nequam puer, inficeto  
 14 me joco ludis ; quod habes, habeto  
 15 munus, et serva tamen ista numquam  
 16 serta petivi.  
 17 Non minor vates ideo canendus :  
 18 Si, quod attondent folium capellae,  
 19 vile contemnam : nec amicta circum  
 20 tempora gestem.

## AD SERENISSIMUM ET POTENTISSIONUM PRINCIPEM MAXIMILANUM

04\_1 v.1 Unde haec dierum certaque noctium  
 2 vicissitudo ? Quis vaga nubium,  
 3 Solemque, palantesque stellas,  
 4 et volucres moderatur horas ?

5       Hiems tepenti vere resolvitur.  
 6       Succedit aestas et gracilis Ceres.  
 7           Quam pulcher Autumnus racemis  
 8           induit, a Borea fugandus.  
 9       Quo tanta motu machina vertitur ?  
 10      Quis gyrat axem ? Quis refluum mare  
 11          seducit, aurigante Luna  
 12          Oceani dociles recursus ?  
 13      Legam sequuntur cuncta Deus, Deus  
 14      mundo supremus praesidet Arbiter :  
 15          et vallat, o princeps, abyssos  
 16          consilio, tumidosque librat  
 17          fontes aquarum ! Providus imperi  
 18          fluenta ripis, litoribus freta  
 19          coercet immetatus idem, et  
 20          acre tuens, placideque fortis  
 21          humana torquet numine consono  
 22          ubique praesens. Ille vel attrahit,  
 23          vel frena subterfusa laxat.  
 24      Ille vices et utramque sortem  
 25      dispensat orbi : terrigenum metus.  
 26      Curasque, spesque et regna vagantia.  
 27          Somnumque Chaldaeи tyranni  
 28          fatidicum, statuamque ; quanta  
 29          fulgens metallis versicoloribus,  
 30          desiderantem scire superbius,  
 31          futura, formosoque totam  
 32          terruerat Babylona monstro.  
 33      Qui cuncta certis secula fontibus,  
 34      argenteumque, et ferreum, et aureum  
 35          derivat in terras ; serena  
 36          ille tuos, animose, zona,  
 37          Septemvir, annos temperat, ac suis  
 38          educit astris, ille recentibus  
 39          antiqua commiscere sollers.  
 40      Incolumem per acerba rerum  
 41      ac laeta duxit. Cum modo prospera  
 42      parcens severe dilueret : modo  
 43          afflaret aura mitiore.  
 44      Ille tuos tremefecit hostes.  
 45      Elusit astu, turbine reppulit,  
 46      prostravit armis , obruit ignibus.  
 47          Delevit undis et frementum  
 48          scuta virum galeasque mersit,  
 49          aequanda Cannis tristibus Apuli  
 50          Wimpfena vici, proliuit in putres  
 51          paludis algas luctuosa  
 52          Turlacie monumenta cladis.  
 53      Damnata nigris nunc quoque Daniae  
 54      Luthera fastis, incaluit rubra  
 55          spumante Cimbrorum cruore.  
 56      Relliquiae, sub opaca noctis.  
 57      Stagnum remissae visere patrium,  
 58      formidolosis horrida matribus,  
 59          natisque narravere bella.  
 60      Et viduis miseranda lectis.  
 61      Haec dico vates : magna sonantibus  
 62      plerumque buccis spes tumidae crepant.

63 Disrumpit inflatos vapore  
 64 immodico vapor ipse folles.  
 65 Sed ista cursu jam medio fores  
 66 periculosas vix patefecerat  
 67 Janus Bohemorum : et micabant  
 68 castra tuis Alamanna Rhombis.  
 69 Pragensis ex quo perfida futili  
 70 vexilla fastu Regulus extulit :  
 71 sub Martis alternante fluctu,  
 72 quam varios superare casus  
 73 virtus adegit ! Qualis in Herculem  
 74 noverca Juno totque sequacium  
 75 inventor Eurystheus laborum  
 76 incubuit, dupicare fessus  
 77 portenta servo. Dux eadem manu  
 78 fudisse felix, ordine singula ;  
 79 Nessumque stravisti, et Leonem  
 80 degenerem, ignivomosque tauros ;  
 81 hydramque visasque ore nocentius  
 82 Lerna venenum spargere viperas.  
 83 Rupta est inaequalis catena  
 84 tot scelerum, pereunte nodo.  
 85 Quae summa mirer ? Grandibus excidit  
 86 Antaeus ausis Balthicus, excidit.  
 87 Terramque maternam negatum est  
 88 In Lycio tetigisse campo.  
 89 At Cacus Egrae, bellua saevior.  
 90 Toto momordit pectore lanceam  
 91 porrectus, immanique justas  
 92 caede ruens satiavit iras.  
 93 Cujus latenti praescius ariete  
 94 olim monebas imperium quati.  
 95 Fraudes odoratus coquentis  
 96 dira, superciliique nidum :  
 97 sub quo tepebat molliter abditum  
 98 implume crimen donec in aera  
 99 surrexit ales, et tremendum  
 100 rupit atrox basiliscus ovum  
 101 tunc certa demum, tunc monitis fides  
 102 delata veris tunc sapientia  
 103 calumniantum per procellas  
 104 largior, invidiaeque spissas  
 105 candente nubes emicuit coma :  
 106 vulgoque prendi substitit obvia  
 107 ambabus ulnis. Hac eadem  
 108 difficiles secuisse doctus  
 109 vias reluctantum et cuneos, magis  
 110 inclaruisti ; semper ab improbo  
 111 livore, fortunaque major.  
 112 Cos fuerant inimica tela.  
 113 Dolore fortis saepe premi potest,  
 114 quandoque flecti ; non tamen opprimi.  
 115 Salicta vix contracta cedunt :  
 116 palma suos levat alta ramos.  
 117 Non negliguntur, quos bene negligit  
 118 numen probandos : si modo vulnera  
 119 ferant silentes, seque duris  
 120 non metuant aperire fatis.

121 Resolve mecum tempora, Maxime,  
 122 unaque confer lapsa fluentibus.  
 123 Accendit eventu secundo  
 124 oppositus color ater album.  
 125 Declivis aetas jam super addidit  
 126 bis quinque lustris sex trieteridas,  
 127     integra, nec succo, nec omni  
 128     flore carens. Juvenile sceptrum  
 129 adhuc fatiges, quamlibet improbam  
 130 molem negoti frangere pertinax,  
 131     hostes peremptum, jamque dudum  
 132 exanimem voluere : vivis,  
 133 tantoque vivis laetior, hostibus  
 134 messis sub umbras. Trudere patria  
 135     e sede tentavere ; regnas,  
 136     inque tuo spoliare victum ;  
 137 victoriarum crevit adorea :  
 138 truncare vafris militiam dolis ;  
 139     sed cauta bellatrix aperto  
 140 frenigerum volat ala campo.  
 141 Suecus subactum credidit ; emines :  
 142 caesum ; triumphas : qui sibimet tuam  
 143     praesagiebant nuper arcem,  
 144 nunc humili tumulantur urna.  
 145 Pars fixa plumbo ; pars fluvii vadis,  
 146 pars hausta limo ; mortibus impares,  
 147     pares catervatim sepulcris  
 148 funereum subiere fossam.  
 149 Ex his fuerunt, qui violentius  
 150 nefas professi, cuncta paraverant  
 151     miscere flammis ; flamma sedit :  
 152     quanta patet, populare terram.  
 153 Fecunda turget messibus annuis :  
 154 vastare caesis oppida civibus ;  
 155     servata, splendorem recenti  
 156     congeminant veterique muro.  
 157 Emuniuntur diruta fortius.  
 158 Nova exstruuntur. Protrahimus focos.  
 159     Ornemus aras templa Finnus  
 160     sacrilego temeravit ungui ;  
 161     formosa celsum plura levant caput.  
 162 Tutela Magnae Virginis in Foro  
 163     accessit Urbi, damna prosunt,  
 164     Cum Superi statuere lucrum.  
 165 Quidam et profundis morsibus erui  
 166 Boiam petebant stirpitus arborem  
 167     accrevit immortale pomum :  
 168     diminui radios honoris ;  
 169     novo coruscas ; stare potentiam ;  
 170     ultra cucurrit : ne juveni quidem  
 171         optabat Heidelberga prolem ;  
 172         mira fides, novitasque rerum !  
 173 Solatur heres bisgeminus senem,  
 174 Patremque fecit. Jam tibi discutit  
 175         curas, et aetatem coronat  
 176         viva tener rosa Ferdinandus.  
 177 Jam frater audit : jam quoque Castori  
 178 Pollux adhaeret. Jam lepidi fluunt

179           in verba risus : jam pererrat  
 180           parvulus Aemilianus aulam.

AD MARTEM. DE SERENISSIMI ELECTORIS AULA, ET MUNITIONE EXCITATA MONACHII.

04\_2       v.1     Surgamus. Umbras vespere Julio  
 2           sol longiores proicit occidens.  
 3           Qui saepe, quamquam non sagatus,  
 4           bella cano tua, Magne divum :  
 5           ausim et resertas sulphure fistulas  
 6           lustrare tecum, et moenibus additas  
 7           turres, coronatisque vallum  
 8           turribus, et scopulos minantes.  
 9           Hac exeamus Mars, ubi fulgurant  
 10          Augusta summi tecta Palatii.  
 11          Quam fama claravit per orbem,  
 12          haec Bavari ducis aula. Sedes  
 13          regnantis ingens, sed domino minor.  
 14          Si curiosis in penetralia  
 15           nunc detur accessus, pudebit  
 16           te Rhodopes et euntis Hebri :  
 17           altaeque posthac culmina patriae  
 18           jactare parces, victus ab aemulo.  
 19          Splendore naturaeque, et artis  
 20           ingenio variata miro,  
 21           intus coruscant omnia crederes  
 22           terrestre caelum sunt laquearia  
 23           accensa stellis, et comanti  
 24           picta tremunt anaglypta fulvo.  
 25          Calcatur album marmor, et Itala  
 26          de rupe caesum : quod solido rubet  
 27           cruore, ramosis virentes  
 28           quod maculis imitatur herbas ;  
 29           juxtaque guttis nobile lucidis  
 30           irritat ostrum, sanguineo lapis  
 31           imbri columnarum renidet,  
 32           lana velut medicata tinctus,  
 33           passim Myronis signa Corinthio  
 34           in aere vivunt. Plurimus ordine  
 35           stat Mentor, et felix ubique  
 36           Parrhasius simulacra fingit.  
 37          Squalent et auro singula regiae  
 38          distincta pulcra lege cubilia.  
 39          Spectator obtusus metallo,  
 40           atque acies stupet icta flammis.  
 41          Movi salivam nempe : refer pedem,  
 42          Gradive. Tune huc protinus ingredi  
 43           tumultuoso cum fragore  
 44           aeripedum ? Prius arma pone  
 45           Scythamque vultum. Forsitan offeret  
 46           occasione commodior dies  
 47           tantisper extra, donec aer  
 48           Lene favet, spatiemur urbem.  
 49          Vides : ut altis cespitibus juga  
 50           immane crescant : utque coercent  
 51           far agro declives arenas,

52       gramineo nemorosa morsu.  
 53       Hic mollis aequi planities soli  
 54       jacebar olim : nunc caput extulit  
 55        erecta moles, et viarum  
 56       e trivio negat una dici.  
 57       Calcanda soli semita militi,  
 58       hac, calle trito rectius ad Forum  
 59        ibatur, atqui, stante porta,  
 60       nunc remoram nociturus hosti,  
 61       objecit in se flexilis ambitus.  
 62       Horti feraces hic olerum forent ;  
 63        ni clivus assurgens remosset.  
 64       Arboribus procul esse jussis.  
 65       Quis unda vexit mite gelu locis,  
 66       fontis remoto pumice, saxeus  
 67       dependet umbo. Dic triumphe !  
 68       Quanta tuis, Dominator Aemi,  
 69       accessit intra tres hiemes opum  
 70       rebus supellex ! Durat adhuc labor,  
 71        et fossor ut circum repertis  
 72       stagna fluant latebrosa venis :  
 73       tentatur humens terra ligonibus.  
 74       Sed en Tonantes urbis aheneos :  
 75        jam fulmen e pinnis minantur.  
 76       Quisque sua statione certam  
 77       servat fenestram, praetereuntibus  
 78       torvus videri. Vade, age, et ultimis  
 79        haec nuntiaturus Batavis,  
 80       plaude redux habitabis aulam.  
 81       It, torta qualis fune phalarica  
 82       discindit auras qualis in aere  
 83        succensa, cursu taeda longum  
 84       corripuit stimulata sulcum

QUID EST MONARCHIA. NISI TRIPLEX SUSPIRIUM OBTINENDI, RETINENDI, AMITTENDI.

04\_3     v.1     Humana si mens arbitrio Dei  
 2        contenta, rebus sciret in asperis  
 3        laetisque caste ferre sortem :  
 4        quam placido frueretur aevo !  
 5       Nunc rapta postquam pectoris impetu,  
 6       permisit omni frena licentiae,  
 7        ausura, quodcumque est, et ausa ;  
 8        quam furiis agitatur atris !  
 9       Mortalis audax horrida perpeti  
 10      amore lucri prodigaliter  
 11      lascivit ; impulsusque diris  
 12      in vetitam ruit usque praedam.  
 13      Suspiorum quis modus est trium,  
 14      quae finis ? Eheu ! quaerimus omnia  
 15      tristes, et amittenda rursus  
 16      sollicito retinemus ungui.  
 17      Exempla passim summa petentium  
 18      vesana sudant : cum tamen omnium  
 19      mensura fatorum, et movenda  
 20      stare diu neget urna summis.

21        Seu more teli jacta Cydonii,  
 22        seu nixa pennis vota supervolant  
 23            et concupiscentem sequuntur  
 24            usque suis poterat quietus  
 25        Xerxes et omni tutus ab ambitu  
 26        haerere Medis ; ni Lacedemona  
 27            stultis laccessivisset armis ;  
 28            plura avidus rapuisse, quam quae  
 29        fortuna posset concoquere, et fames  
 30        tanti Leonis. Thermopylas supra  
 31            grassatus. Aegaeumque pontum,  
 32            rupit Athon petulante bello ;  
 33        marique, nomen qua Nepheleias  
 34        mutavit Helle, supposito pedes  
 35            velut pavimento choragus  
 36            insiluit, numerum quadrigarum  
 37        aequans carinis fluminibus sitim  
 38        minatus eheu, perdidit omnia.  
 39        Sceptrumque, remosque, et flagella,  
 40            exsul, et ad Salamina victus.  
 41        At quem superbi nominis hybrida  
 42        superbiorum Bucephalus tulit ;  
 43            post terga contempti relicta  
 44            sede Patris. Macedumque terra :  
 45        et solis extra currere limites  
 46        conatus omnem vertit ad Aeolum  
 47            inflata grandi vela fastu.  
 48        Seque sequens, fugiensque retro.  
 49        Jam Bactra Susis junxerat ultima,  
 50        Taurumque montem Persepoli ; tamen  
 51            ultra tetendit. Sogdiana  
 52            altior inferiorque Petra,  
 53        devixa Mundi, trans Arachosiam,  
 54        Gangemque, et Indum, quaerere navigat.  
 55        Pulsatur exsternata Tethys.  
 56        Oceani domus ima mugit.  
 57        In puppe prostans ille remugit :  
 58        suique clausos Oceani cava  
 59            refudit aestus, et procellas,  
 60            pectoris immodici vorago.  
 61        Fixisse metam debuerat, nigro  
 62        cadente Poro, qua fluit, ac jacet  
 63            torpetque, debellarat Orbem ;  
 64            non satiat tamen unus unum.  
 65        Habere partem non voluit : pudet.  
 66        Servare totum non potuit : dolet.  
 67        Eheu ! volaturum per auras  
 68            testa premit, cohabetque saxum  
 69            ridentis intra sex figuli pedes  
 70        hic ille, parvo funere, cogitur  
 71            devicta Persarum cubare  
 72            purpureus super arma praedo.  
 73        Ferox in omnes nec sibi parcere  
 74        Libido novit, nec nisi mortua  
 75            pacatur immensas habenti,  
 76            semper opes mage sunt timenda,  
 77        quam respuenti mole ruunt sua  
 78        majora justo saepius et ducum

79       enses, adoratique vultus  
 80       in mediis crepuere flammis,  
 81       tam dives ullus, non puto, vixerit,  
 82       qui nollet Iro pauperior mori :  
 83        nec pauper optabit sepulto  
 84        ditior occubuisse Croeso .  
 85       Caelone tectus non tegitur satis,  
 86       quam vis humetur nudus, et algeat ?  
 87        Exaggerata si trophaeis  
 88        dedecus est caruisse terra :  
 89        quam Caesar olim quam subiit scrobem  
 90       Pompeius ingens ? Insatiabilis  
 91        uterque possessis ; uterque  
 92        caede madens, vomuit rapacem  
 93        honoris umbram, tot coeuntibus  
 94       plagis in unam procubuit socer :  
 95        gener Photino praeda factus,  
 96        proram anima fugiente pulsat.  
 97       Utcumque dulci gloria perfurit  
 98       venas tumultu, torquet amarius.  
 99        Corona tot gemmata curis,  
 100      plus aloes habet, anne mellis ?

## AD DIVAM VIRGINEM DOMINAM AUXILIAREM, IN CAMPO AUGIAE MONACENSIS PROPITIAM....

04\_4     v.1       Intermissa diu redi  
 2        Virgo, Davidicis edita Regibus.  
 3        Longi dedecus otii.  
 4       Brumarumque sub hac triste silentium  
 5        compensabimus arbuto,  
 6       jam veris comites aera temperant  
 7        excussa nive limpidum :  
 8       et secum volucres in cavea ferunt  
 9        ridentes hiemis fugam.  
 10      Sopitae fluviorum evigilant aquae,  
 11        pulsis noctibus algidis.  
 12      Rumpit prata tepor : luxuriat suis  
 13        emissum stabulis pecus.  
 14      Jam florent salices scissa recens tuis,  
 15        Virgo, serviet usibus,  
 16       exempto viridis cortice fistula.  
 17       Nam cui ludimus alteri ?  
 18      Aut quae Nympha cani dignior altera ?  
 19       Tu mundi lepor, et decus,  
 20       blando concilia omnia foedere :  
 21        terraeque et pelagi potens,  
 22       semper vota bonos ducis ad exitus :  
 23        numquam credere quae soles  
 24       perjuri levibus ludibriis Noti.  
 25       O maestis columen reis :  
 26       o tranquilla quies, et pereuntium  
 27        quo te cumque vocant preces,  
 28       opportuna salus ! Nos quoque caeteri  
 29        templis Indigetes juvant.  
 30       Sed non tanta fluit vis ab origine,  
 31        et quandoque trahit vadum.

32 Apparent mediis tubera rivulis.  
 33 Fons, Virgo, tuus effluit :  
 34 et vasto pelagus circuit ambitu.  
 35 Sunt divi, quibus agmina  
 36 conspectis fugiunt pallida febrium ;  
 37 fractae dissiliunt fore,  
 38 obstrictisque cadunt vincula brachiis.  
 39 Hunc serpens timet ebria ;  
 40 illum funereae pestis anhelitus :  
 41 hic et manibus imperat.  
 42 Functosque e tumulo tollit ad aethera.  
 43 Metam quisque tamen suam.  
 44 Caeli cursor habet ; certaque limite  
 45 Arcto jugera contrahit.  
 46 Tu commune bonum : tu sine termino,  
 47 sedi proxima Filii,  
 48 immetatus ager sufficis omnibus.  
 49 Cunctis, tu Dea, publicae  
 50 aram laetitiae pandis et auxili.

## AD AMPLISSIMUM VIRUM JO. CHRISTOPHORUM TARGISILIUM. REGIS ET TYRANNI DISCRI...

04\_5 v.1 Regem non solito nomine villicum, et  
 2 hortos regna voces, Targisili, licet  
 3 nam fecunda Coronae  
 4 sunt Alvearia civium.  
 5 Cives mella sub his condere seduli,  
 6 fingunt Daedalea dvitias manu :  
 7 et, ceu floribus Hyblae,  
 8 gratis mercibus incubant.  
 9 Quantus, nonne vides ? Urbis apes labor  
 10 exercet croceum pulcra simul diem,  
 11 sparsò rore per herbas,  
 12 mater Memnonis extulit.  
 13 Jam tum mane strepunt : jam vagus artifex  
 14 et fervens operarum, involitat thymis :  
 15 jam cum conjugè ceras  
 16 stipat non sine faenore.  
 17 In censem vigilant omnia quaeritur  
 18 semper dulce lucrum : cuius odor bonus  
 19 ex re qualibet afflat,  
 20 et nares animas trahit.  
 21 Hinc sugunt pretiosum unguen, et allinunt :  
 22 quo postquam madidi tecta repleverint,  
 23 plenis annua cellis  
 24 vectigalia profluunt.  
 25 Rumpuntur liquidi viscera glutinis.  
 26 Perlustrata suas fundit opes domus.  
 27 Flavi jura tributi  
 28 sceptris excutitur Favus.  
 29 Refert, quis laticem nectaris eximat.  
 30 Saevus pastor apes mactat et alveo  
 31 totum diripit aurum,  
 32 sternens moenibus incolas.  
 33 At rerum sapiens Corycius senex,  
 34 jussis in sobolem vivere posteris ;

35           mellis parte relictam,  
 36           seponit reliquum sibi,  
 37           concessoque Deum munere vescitur.  
 38           Seu spumam indomiti frangere Massici  
 39           doctus ; sive lagenam  
 40           mensis addere rusticis.  
 41           Nunc agnoscere te, Targisili, reor  
 42           discrimen gemini nobile villici  
 43           primum, jure tyrannum ;  
 44           regem dixeris, alterum.

## AD SERENISSIMUM PRINCIPEM ALBERTUM SIGISMUNDUM, UTRIUSQUE BAVARIAE DUCEM

04\_6       v.1     Parvis maxima stant principiis, ac pariter jacent.  
 2           Primam tolle casam ; et sustuleris moenia patriae.  
 3           Qui rivus minimo montis aquas haurit ab ostio :  
 4           post multas hiemes, cum gemitu pontificum ruit,  
 5           arbos vela ferens, virga fuit : nunc maris hospita  
 6           nubes ingreditur : se cumulant omnia tempore,  
 7           tam belli mala, quam pacis opes : qui bene providus  
 8           non spernit modicum, sive sago, sive toga ; sapit.

## AD LAURENTIUM ADONEM, HODIE VIVENDUM.

04\_7       v.1     Vivis, an differs leve munus aurae ?  
 2           Sed spei telam male texis, Ado :  
 3           fila cum vitae Lachesis peractae  
 4           scindit et aufert.  
 5           Curta sub terram properatur aetas.  
 6           Quae dies non est homini suprema,  
 7           alitum ritu volat, et sagittae :  
 8           ultima stabit,  
 9           durat in fatis, semel interire :  
 10          durat hoc unum subeuntis ipsi  
 11          In sinu causam geniale Mortis  
 12          semen habemus.  
 13          Ille naturae sociata nexu,  
 14          corpus hoc instar comitatur umbrae.  
 15          Vesperam vivis ? Fit et umbra major :  
 16          denique vera,  
 17          qualis effosso graditur sepulcro.  
 18          Qualis et Manes levis inter errat.  
 19          Ter fuit praeeeps, hiemante barba,  
 20          Nestoris aetas !  
 21          Mansit extreum solido rigore  
 22          curva : nec primum potuit reflecti  
 23          Nestor in florem, tremuloque fossam  
 24          vertice plausit.  
 25          Frangimur tandem puto frequentes  
 26          urcei. Si sum tibi consul, Ado ;  
 27          protinus vives : mala lux sequetur :  
 28          optima nunc est.

## AD THOMAM MARINUM A SUECIS VULNERATUM ET SPOLIATUM.

04\_8 v.1 Non si deorum exercitus insolens  
 2 increvit astris, propterea caput  
 3 subduxit Atlas ; et gravatum  
 4 questus onus, petiit levare.  
 5 Ferenda moles : donec in Herculem  
 6 caeli columnam sidat idoneam.  
 7 In te resistentem minaci,  
 8 cuncta licet ferat arma contra ;  
 9 fortuna nullum jus habet improba.  
 10 Nam nec beatum, nec miserum facit :  
 11 sed esse, congressu repertum  
 12 detegit, opprobriisque vexat  
 13 tunc, cum subegit. Cui potuit semel  
 14 nocere, numquam magnus erat. Potes  
 15 felix haberis ; si, Marine,  
 16 quae tua sunt, aliena credis.

## OMNIPARENTIS NATURAE IUSTA QUERELA ADVERSUS INGRATOS MORTALIS.

04\_9 v.1 Nuper ad fontem Dryadum sedebam :  
 2 qua virens silvis aperit theatrum  
 3 Faunus, et ripas sinuosus amnis  
 4 Isara plangit.  
 5 Hic inumbratum nemus intuentem,  
 6 alloqui moris inopina ramis  
 7 coepit, humana mihi cumque visa  
 8 major imago :  
 9 celsa turritum caput, alba crines  
 10 hinc et hinc sparsos, inarata vultum  
 11 vomere aetatis subigente rugas,  
 12 nuda mamillam.  
 13 Scribe, Boiorum, mea cura, vates :  
 14 scribe, clamabat, sacra te monentis  
 15 jura naturae, memorique fago  
 16 sculpe querelam.  
 17 Vox erat, qualis resonans aquarum :  
 18 cum suas Ister pelago pruinias  
 19 miscet, et primam gelidi salutat  
 20 gurgitis undam.  
 21 Stulta gens : semper cupitis negata.  
 22 Hic gruis collum petit, ut saginam  
 23 latius tendat : puer iste nasum  
 24 rhinocerotis ;  
 25 alter et pennas alias natatum  
 26 Daedalo praefert, agilique cereae.  
 27 Ille cornicis tria poscit annos  
 28 secula passae.  
 29 Seu Rheam dicant veteres Achivi  
 30 sive Junonis mihi nomen aptent ;  
 31 sive Lucinae gravidas levantis,  
 32 sive Cybeles :  
 33 displicet, quidquid statui profanum  
 34 dona fastidit male nota vulgus :

35       millies dignum sua, quae precatur,  
 36            damna mereri.  
 37       Si petis collo gruis helluari :  
 38            litteram motis quoque pinge pennis ;  
 39            excuba noctu, patiare telo  
 40            denique figi.  
 41       Disce, cervinae cupidus senectae,  
 42            praeda venantis fieri, canumque  
 43            lusus ; et saevas hiemes sitimque et  
 44            cornua ferre.  
 45       Quae simul junxi, male separantur.  
 46       Siquis accepto bene novit uti ;  
 47            dante me, cunctis licet esse laetis,  
 48            esse beatis.  
 49       Quod genus fingis tibi, quam parentem ?  
 50       Falsa nimirum lapidum propago  
 51            jacta post tergum gravidaeque lactat  
 52            fabula silvae !  
 53       Sparsa Gaetuli super arva campi  
 54            saxa fecundis caluisse flammis :  
 55            dispares quassa nemus edidisse  
 56            ilice foetus.  
 57       Post rates mersas, ego Pyrrha vivas  
 58            imbui rupes. Ego quercus illa :  
 59            cujus ex vero cecidistis omnes  
 60            cortice ventris.  
 61       Furta mentitur Scythica Prometheus  
 62            valle confixus : meus ignis ille.  
 63       O mihi quanti, soboles, stetisti ex  
 64            aethere rapta.  
 65       Additus caeli Superumque fomes.  
 66       Ne qua pars vestri foret impolita ;  
 67            principem limum, meliore lima  
 68            ipsa polivi.  
 69       Quippe suggestus radiat comarum.  
 70       Fronte sublimis facies coruscat :  
 71            os et erectum facili tuetur  
 72            sidera motu.  
 73       Nescit, heu, nescit sua vota Momus,  
 74            quisquis optabat vitreis videri  
 75            pectus e costis, sua nolit ipse  
 76            septa patere.  
 77       Una, mortales, data lingua vobis :  
 78            unde stridentis subito bilingues ?  
 79       Integros vitae genui, nec ulla  
 80            fraude nocentes.  
 81       Jam quotus primae similis farinae ?  
 82       Nemo non saevit, timet, ardet, odit.  
 83       Mugiunt tauri, video leones,  
 84            terreor ursis.  
 85       Quanta vindictae rabies ab imis  
 86            aestuat venis ? Quid amore pejus ?  
 87       Aut quid humanas cumulante caedes  
 88            tristius ira ?  
 89       Insuper nullus modus est habendi  
 90            Magna vix pusam puerumque parvas  
 91            regna post cunas capiunt : nec unus  
 92            sufficit orbis.

93 Sciveram coctos nimio vapores  
 94 Sole dum splendent oculis nocere :  
 95 hinc nigris auri radios cavernis  
     provida texi.  
 97 Tecta fossores avidi metalla  
 98 scire scrutantur ; penetrantque ad imas  
 99 montium valles procul et feri sub-  
     urbia Ditis.  
 101 Quid furens in me Venus et Lyaei  
 102 Thyades peccent, taceo. Pudendas  
 103 ipsa speluncis, aliaque nocte  
     obruo noctes.  
 105 Ut genas servet, liquidamque vocem,  
 106 floridus Musae puer e virili  
 107 tunditur sexu, Phrygii sub ictu  
     victima culti.  
 109 Proh pudor ! Quo me fero cumque, secta  
 110 Troas occursat, Catamitus aulae.  
 111 Stant anus hirtae, fidibusque motis  
     molliter hiscunt  
 113 virgines ut se violenter ornant !  
 114 Nostra vix ullam satiat venustas.  
 115 Pulchra, concessam maculat veneno :  
     foeda, negatam  
 117 attrahit fuco. Quota, dic, puella  
 118 non emit vultum ? Quota me, meaque  
 119 dote contenta est ? Colitur, forasque e  
     pyxide prodit.  
 121 Plura lassatam memorare taedet.  
 122 Opprimor monstris. Quid enim nepotum  
 123 luxus intactum vitio reliquit,  
     aut quid inausum ?  
 125 Cerno currentes, velut astra, mensas  
 126 volvier circum ; madidosque nardo  
 127 flante convivas, et odoris imbri  
     tingere crines.  
 129 Sordet in Maio rosa : quam December  
 130 protulit, fragrat. Glacies paratur  
 131 ad sitim : naso rubicunda Bacchi  
     stiria pendet.  
 133 Ore caelato salientis hirci  
 134 pressa Setinis fluit uva prelis.  
 135 Quae Capri libant, cava sunt et ipsa  
     pocula capri.  
 137 Faginam nullus sibi sumit ansam  
 138 plenus autumno rapitur smaragdus.  
 139 Cyprium gemmis bibitur merum gem-  
     maequa bibuntur.  
 141 Altius tectis pumili Laconum  
 142 marmor attollunt. Lacus in cubili  
 143 vitro fumat, volitantque supra  
     culmina silvae.  
 145 Caedit iratus mare Rex flagellis :  
 146 tergus urenti sua tela soli,  
 147 Aeoli buccis colaphum minatur,  
     et mihi fustem.  
 149 Quo ruis, curvum pecus, o pusilla  
 150 portio terrae ? Tibi sic origo

151 excidit testae, cinis et favilla et  
 152 ventus et arva ?  
 153 Heu, parum tuto vetitis inhaeres,  
 154 meque contemnis, male sana proles.  
 155 Cur ad occasum properas ab ortu,  
 156 Marte relicta ?  
 157 Testor aequaevam Themini, et sequentem  
 158 crimen a tergo Nemesin : dolebis.  
 159 Has time justas, memoresque fandi  
 160 atque nefandi.  
 161 Haec ubi moto dea fata luco :  
 162 tristis in sese penitus recessit.  
 163 Ast meum canis rigidus caput cir-  
 164 cumstetit horror.

QUERITUR AUCTOR, FERTILISSIMUM AEGYPTI REGNUM TURCIS SERVIRE.

04\_10 v.1 In regna Mundi prima Pharos venit,  
 2 peculiari nobilis indole,  
 3 circum jacentem ridet Orbem,  
 4 seque clepit pluvio Tonanti,  
 5 et usitatis legibus eximit.  
 6 Non illa supplex sternere nubibus  
 7 dignetur aram ; quae caninum  
 8 ante Deos venerata dentem,  
 9 praefert Anubim tergemino Jovi.  
 10 Certo sed anni tempore fertilis  
 11 rigatur exundante Nilo,  
 12 Inque soli gremium solutis  
 13 lactescit undis, jugera crederes  
 14 remis arari. Spicea mox solo  
 15 se fundit ubertas, et agri  
 16 flavicomis strepuere culmis.  
 17 Seu magna ventis pabula flantibus,  
 18 colonus amnis carpit, et aestuat  
 19 fervente Cancro : seu latentem  
 20 multifido bibit ore brumam :  
 21 et rursus haustae prodigus, evomit  
 22 scisso tumentis divitias sinu :  
 23 simul recenti sole spira  
 24 menta putris caluere terrae :  
 25 Natura vix plus Oceano parens  
 26 indulxit ipsi. Sed, quibus influit  
 27 fecundus humor ? Cui propinat  
 28 omnigenas, age, Nilus undas ?  
 29 Ut nulla constant regna sibi diu !  
 30 Olim ferendo sub Latii jugo  
 31 sudavit, et strictas Canopus  
 32 Ausoniae tremuit secures :  
 33 donec revulsam Mars Othomannicus  
 34 praedam tributis apposuit suis.  
 35 Heu, Delta famosum trigonae  
 36 Thracibus asseritur figurae !  
 37 Thracesque aristas nil Jovis indigas,  
 38 et viva stirpis balsama colligunt.  
 39 Europa quanticumque nasi,

40 non fruitur tamen hoc odore.  
 41 Insurge tandem Martia Romuli,  
 42 contendit pubes, eripe barbaris  
 43 opima glebae : Turca semper  
 44 possideat melioris usum ?

## AD MATHIAM CERVUM, TRIBUNUM BELLI, ALSATAM

04\_11 v.1 Paucos videmus surgere Tullios :  
 2 quibus probetur Mars, sine conjugae  
 3 Martis ; vel asternanda scuto  
 4 casta quies, gelidique somni.  
 5 Plerisque castris agmina vagiunt :  
 6 et qua moventur nocte puerperae,  
 7 portantque, portanturque curru,  
 8 sarcina deterioris aevi.  
 9 Atqui rigorem militiae Venus  
 10 damnosa foedis mollit amoribus.  
 11 Enervat arcus, et retundit  
 12 blanda mares animos voluptas.  
 13 Testis mearum et Punicus Hannibal  
 14 sententiarum : quem Capuae novis  
 15 ultae cruentavere Cannis,  
 16 luxurie dapibusque fractum.  
 17 Peltata ni sit femina, sit procul  
 18 torvas in armis Turnus Amazonas  
 19 de gente Volsca, non puellas  
 20 indecores habuisse fertur.  
 21 Omen secundam qui pius est, habet.  
 22 Haruspicinae Tuscus inhaereat,  
 23 Chaldaeus astris : proelianti  
 24 auspicium dabit una Virtus.  
 25 Frustra volabunt, et tibi septies  
 26 plaudent olores : si male conscio  
 27 ferale bubo carmen intus  
 28 occinat, inferiasque Dirae.  
 29 Adversa paci vulnera militent.  
 30 Subjecta palmae lancea floreat :  
 31 Urbique, decretisque Patrum  
 32 laurigeri famulentur enses.  
 33 Fatale tempus. Quisquis idoneae  
 34 occasione segnus imminet ;  
 35 seu fraude, seu pejore fastu :  
 36 imperii, patriaeque latro est.  
 37 Heu, quot triumphos perdidit aemulus  
 38 et regna livor ! Quot lacrimas dedit !  
 39 Lugentis Europae puellis  
 40 ploro nefas, puerisque notum.  
 41 Cunctare velox, ut Fabius. Moram  
 42 peritiiores aligeram probant.  
 43 Matura semper poma carpet,  
 44 qui didicit properare lente.  
 45 Duella, Cadmi trade nepotibus  
 46 pugnanda : bellum tu gere publicum.  
 47 Furens arenae lucta, non est  
 48 verus honor, sed honoris umbrae.

49 Fas castra septis undique muniat.  
 50 Gemmis et auro sit potior Fides :  
 51 Famamque, percussumque foedus  
 52 quo pretio, cave, cumque fraudas.  
 53 Perjurus astris victor, et impius,  
 54 distatne victo ? Succubuit sibi :  
 55 Saxo, quod attrectavit, arae  
 56 a Nemesi feriendus olim.  
 57 Dux subjugatis linque jugum. Boves  
 58 scindant novales : femina surgere  
 59 permitte, civilis coronae  
 60 triticeum meriture fertum.  
 61 Haec, Cerve, fiunt ? Currite flumina  
 62 Germana retro : tuque bicorniger.  
 63 Natalis abrupto meatu,  
 64 Rhene, subi cava fontis antra.

## AMOR MARIANUS.

04\_12 v.1 Laedor ? An penna trepidante fibras  
 2 somnio tantum potuisse laedi ?  
 3 Quidquid est, auras aliquid volatu  
 4 movit inanes.  
 5 Et manum nosco moderantis arcum, et  
 6 sentio teli leve pondus haeret  
 7 aureae vulnus calidum pharetræ in  
 8 pectore fixum.  
 9 O, ubi nostram sequeris Dianam,  
 10 virginum pulcher chorus ambulantum :  
 11 nuncia, gratis bene laesa capri  
 12 viscera flammis.

## DIALOGUS AUCTORIS ET MICHAELIS ANGUILLAE. DE FORMA VIRGINIS MATRIS

04\_13 v.1 Quam sit tota, vides, Mater, amabilis ?  
 2 Collectæ species viva modestiae.  
 3 Ex ipso licet ore  
 4 Matrem discere virginem.  
 5 Mi infans ut bicolor, candidus et ruber,  
 6 membris laetitiam spirat ab omnibus !  
 7 Ignorans quoque dicat :  
 8 qui sic pingitur, est Deus.  
 9 Virgo caeruleis nubibus insidet.  
 10 Inter pennigeros pulchra Favonios.  
 11 Lunae fixa sinistro  
 12 livent sub pede cornua.  
 13 Erectus gremium molle premit Puer,  
 14 exultimque micat. Conveniunt bene,  
 15 ac miscentur in uno  
 16 majestas et amor loco.  
 17 Vestes virgineas non ego divites,  
 18 sed tinctas viola paupere dixerim,  
 19 ullis absque corymbis ;  
 20 ut tanto deceant mage.

21       Investis nebula pusio non eget.  
 22       Tectus luce satis : sic quoque gratior.  
 23              Pubescentibus altum  
 24              crinitur radiis caput.  
 25       Matris caesariem carbasus integit :  
 26       frons augusta patet. Teutonicam genae  
 27              potavere pruinam,  
 28              ostrum quam bene diluit.  
 29       At crispata riget filioli coma,  
 30       et sol in facie ridet eburnea  
 31              malis lilia vernant :  
 32              et flamas acuunt rosae.  
 33       Pondus non tetrici dulce supercili,  
 34       arcum supra oculos flectit ianthinum :  
 35              et quam pupula vibrat,  
 36              miti lux oleo nitet.  
 37       Hujus luminibus lacte madentibus  
 38       blandus fulgor inest, uaque gemmea :  
 39              quam permiscuit igni  
 40              electri teretis liquor.  
 41       Virgo, nescio quid, non tacet, et suis  
 42       florem deliciis porrigit accipi.  
 43              Commendare videtur  
 44              insertura volae manus.  
 45       Infans, nescio quid, vagit, an annuit ?  
 46       Certe non dubiis gestit amoribus.  
 47              Ex mulcente labello  
 48              apricus trepidat color.  
 49       Hanc pinxit tabulam Parrhasius niger,  
 50       veris quanta fluent gaudia vultibus :  
 51              si tam limpida ficti  
 52              derivant in imaginem ?  
 53       Formosi quia sunt, et Puer et parens :  
 54       an formosa parens, anne Puer magis ?  
 55              Et formosa parens, et  
 56              formosus magis est Puer,

## PUGIO TRAIANI SIVE ORATOR POLLICITUS, AD INFORMANDUM PRINCIPEM.

04\_14   v.1       Nudi loquantur si Chalybes, tace,  
 2              o juste Lipsi. Ferrea praevalent  
 3              mucronis et Romana verba :  
 4              dura quidem, tamen efficacis  
 5       acuta linguae. Pugio Caesaris,  
 6       effare verum. Jam tibi plurimus  
 7              silet Senatus : pendet aula  
 8              a gladii resonantis ore.  
 9       Custos fidelis Regibus additus  
 10       mites et aequos praesidio vigil  
 11              defendo. Crudeles, iniquos,  
 12              degeneres, patriaeque noxas  
 13       invado versa cuspide. Nam memor  
 14       pro me, vel in me, more Laconico  
 15              dixisse succinctum, Gabina  
 16       Cum caperet meus arma consul.  
 17       Detestor illos, quos hominum crux

18       bis purpuratos tinxit : an ostreis  
 19        vestes coloratas rubere  
 20        non fuerat satis ? Ergo sanguis  
 21        debebat addi corpore civium  
 22        expressus ! Odi nomina Caesarum  
 23        noctu senatores citantum  
 24        attionitos, spatioque rhombi,  
 25        metuque mortis. Thracia caedibus  
 26        inauguretur. Taurica Bistones  
 27        aulaea suspendant, ferarum  
 28        terrificis variata formis :  
 29        utatur albis rex meus, et sacri  
 30        cubilis ornet fulcra tapetibus.  
 31        Quos intuentem nullus horror  
 32        saevitiae, vel imago laedat.  
 33        Iras tyranni praecipitent, equi  
 34        cruore pasti. Rex meus, et pium  
 35        librabit, et fustum dolorem.  
 36        Laudo moras, ubi jus ab ense  
 37        ictuque pendet. Quas tamen improbo  
 38        prodesse nolim, si noceat bonis.  
 39        Est et, protervos ac rebelles  
 40        imperio cohibere, virtus.  
 41        Scindantur artus immedicabiles :  
 42        ne ducta labes inquiet integrum  
 43        corpus, putrescentique serpat  
 44        In populum vitiosa membro.  
 45        Ardente Roma ; quod libet, hoc licet,  
 46        clament Nerones : quod licet, hoc libet ;  
 47        Trajane, dices. At nec omne,  
 48        quod licet, hoc libeat regenti.  
 49        Sui imperator latius imperat.  
 50        Quam subditorum ; quam Tanaim Pado  
 51        Gadesque jungens, lege lata,  
 52        ipse sibi bene paret Auctor.  
 53        Vitentur omnes dedecorum proci,  
 54        qui criminosis cumque placent modis.  
 55        Mordent adulantes catelli  
 56        deterius catulo leonis.  
 57        Laus, est venenum : publica blandius,  
 58        privata pejus, ficta nocentius :  
 59        letale, si tantum bibatur ;  
 60        quantum animo malesanus olim  
 61        Pellaeus hausit. Tunc etiam furor  
 62        obest amicis. Tunc subiti Joves  
 63        nascuntur in mensa, rotantque  
 64        fulmina per pateras sonantes.  
 65        Innube caelum frontis, amabile  
 66        Quis thura supplex offerat et preces ;  
 67        Si torva majestas ad aram  
 68        igne tonat, jaculisque stridor ?  
 69        Non Africanis, non Alyatticis  
 70        Europa servit legibus, India  
 71        truncos adoret, et per annum  
 72        visa semel simulacra regum.  
 73        Sol ipse tristes ac pluvia graves  
 74        vultus decora temperat iride.  
 75        Ros unde labens et metallo

76        concha novo pretiosa stillat.  
 77        Currunt ut amnes in mare : sic fluant  
 78        opes in arcum, rursus ut effluant.  
 79        Et hic redundet gurges. Auri  
 80        larga manus, sed avara ferri  
 81        vagina clarant, parcite, principes,  
 82        munire vestros, excubiis Lares.  
 83        Ni terreatis, nil timetis.  
 84        Pax animi trepidare nescit,  
 85        vulgique fluctus tuta natat super.  
 86        Molli lupato fortius attrahit  
 87        tranquilla subjectos potestas,  
 88        quodque monet, jubet : inquieta  
 89        mandat, nec urget. Lene fluit Tagus,  
 90        diratque ripas : lene super Pharon  
 91        extendit almam Nilus undam,  
 92        et tepido fovet ore fruges.  
 93        Immane torrens e nivibus ruit :  
 94        Campo sed idem fertur inutilis ;  
 95        pontesque, clamantesque silvas  
 96        Spumeus, ac sata laeta sternit.  
 97        O quisquis audes esse bonus, meum  
 98        admitte Trajanum. Ille metus fugat  
 99        curasque : et adducit beatum  
 100      imperium sine fine. Dixi.

## AD VIRGINEM MATREM DUNTENHUSANAM

04\_15 v.1 Virgo cui natus faciem venustam  
 2        seque concessit, mihi cumque salve :  
 3        dum precor supplex, facioque matu-  
 4        tinus ad aram.  
 5        Hic catervatim quoque te vocatam  
 6        lane sentiri miseris patronam,  
 7        lingua suspensis loquitur voventum  
 8        cerea signis.  
 9        Quem manu mulces, o amica, flecte.  
 10      Non opus multis, o amica, verbis :  
 11      Mater arride semel, et puerum  
 12      flexeris ore.

## AD CLARISSIMUM VIRUM. BENNONEM SEGARTIUM. INTER CONSILIARIOS ADLECTUM.

04\_16 v.1 O di bilingues, et pretio fidem  
 2        dato paratos frangere vitream.  
 3        Virtus in illo nulla, cuius  
 4        prima, Deum timuisse, non est.  
 5        Justum, Segarti, consilium dabis :  
 6        quod atra nullis sepia fraudibus  
 7        obfuscet ; aut privata lactet  
 8        utilitas, aliena sugens.  
 9        Charontis hamum reice, munera.  
 10      Pulchrum, rubentes spernere laminas :  
 11      et cum propinatur toteuma,

12 dicere ; non sitio metallum.  
 13 Qui blandientes temnit opes, opes  
 14 supra est, et infra se tenet omnia.  
 15 Hoc Morus exemplo Britannam  
 16 emicuit moderatus aulam.  
 17 Ille in faventis culmine gloriae,  
 18 intaminatis major honoribus,  
 19 sic se regebat, sic tyrannum :  
 20 ut neque fraus, neque vis ab aequo  
 21 regalis unum, nec metus aut amor  
 22 moveret unguem. Sol citius suo  
 23 dimotus e cursu, quadrigam et  
 24 munia deseruissest axis.  
 25 O ista nostro si quoque seculo  
 26 floreret, arbos ! Non veluti pila,  
 27 missus per auras, huc et illuc.  
 28 Ambiguo fluitaret ictu  
 29 romanus Orbis : nulla facesseret  
 30 tumultuantis rixa superbiae  
 31 turbas ; neque aeterno vetaret  
 32 exilio remeare pacem.  
 33 Procul rapinis et procul ambitu  
 34 fovente lites, quisque sua sedens  
 35 sub vite, vel ficu, quietam  
 36 exigeret sine Marte vitam.  
 37 Nunc insolentes post Camerarios,  
 38 cuniculosis omnia fraudibus  
 39 suffossa ; quadratoque rupit,  
 40 agmine Machiavellus Orcum.  
 41 Cretata vendit se sapientia,  
 42 veramque lucris turpibus immolat,  
 43 pelli leoninae scit impro-  
 44 visa suam sociare vulpes.  
 45 Per heu tacendas Achitophel suum  
 46 non unus artes nobilitat genus.  
 47 Argutus incrustare verba,  
 48 ingenio potiore vincit.  
 49 At non triumphis monstra perennibus  
 50 impune nullo vindice saevient.  
 51 Injuriosae Larva mentis  
 52 saepe quidem queat esse tecta,  
 53 sed tuta numquam. Sol radios dolo  
 54 inverget olim. Defluerit allitum  
 55 claustris, ab omni parte, gypsum :  
 56 et paries, animique stabit  
 57 structura nudi sub patulo Jove,  
 58 videnda nullis picta coloribus.  
 59 Cum protrahentur purulenta  
 60 e trepido Stygis ova nido :  
 61 ut palpitabunt ad medium diem,  
 62 et clara caeli spicula noctuae :  
 63 In fraude, deprensas aperta  
 64 luce palam feriente pennas !

## AD SABINUM FUSCUM IN INDIAS PROFECTURUM.

04\_17 v.1 Ibis, quo jubet unica  
 2 toto circumagens aequore litera :  
 3 sed qua nec violentius  
 4 Gaudentem traheret grandis epistola,  
 5 o ergo faciem, novis  
 6 incoctus rapidae solibus Indiae,  
 7 augebis pretiosius,  
 8 pulchre barbarico more ferocior ;  
 9 bis ferrugineus genas  
 10 fulgentes tenebres ; et bis in annulos  
 11 flexam caesariem niger.  
 12 Quod si te Superis ire volentibus  
 13 invito mihi suadeas :  
 14 diris Thessalicam devoveam ratem,  
 15 primum quae potuit fretum  
 16 audax aerisonis rumpere puppibus.  
 17 Cedamus. Vocat Hispalis.  
 18 per matris lacrimas, perque sororios  
 19 imbræ, navita nobilis  
 20 ridens vela sui pectoris explicat.  
 21 Ah, frustra genetrix sinum  
 22 fles percussa manu ! Quid scopulum feris ?  
 23 Lamentis quid inanibus  
 24 perdis verba nihil proficiantia ?  
 25 In ventos abeunt preces.  
 26 Cursuri pelago lintea filii.  
 27 Tot suspiria promovent.  
 28 Tempestiva gemens stamina sufficis.  
 29 Non, si scissa comam, pares  
 30 tortis femineo crine rudentibus  
 31 injecisse moras ; semel  
 32 inspirata Deo carbasa retrahas.  
 33 Mens immota sibi manet.  
 34 Jam pulsata sonant litora : jam fremit  
 35 ventosi chorus Aeoli :  
 36 et frondosa levans brachia Mexicum,  
 37 complecti parat hospitem.  
 38 Jungamus placidis vota Favoniis.

## AD EUNDEM. AUCTORIS VATICINIUM.

04\_18 v.1 Quam nihil in certas cautum est mortalibus horas !  
 2 Omnia vota natant.  
 3 Fusce, redi. Vatem si me quoque maxima dicit  
 4 Roma ; Sabine, redi.  
 5 Quid redditum moneo ? Numquam, quo dirigis, ibis :  
 6 huc, age, flecte ratem.  
 7 Sperasti extremos mollire profectus ad Indos  
 8 barbara corda virum.  
 9 Fata vetant : Orbis potuit Germania curas  
 10 pellere nostra novi  
 11 non gens dura tibi, sed cerea principis aetas  
 12 erudienda venit.  
 13 Nulla Philippinis obtexerit insula claustris :

14 Teutonis aula vocat.  
 15 Qualiter Aeaciden Scyro subduxit Ulysses  
 16 ad fera bella ducem :  
 17 sisteris aequoreae divulsus rupibus orae ;  
 18 ne latuisse potes.  
 19 Educi latebris prohibebant mater Achillem :  
 20 sed tua nempe cupit.  
 21 Flecte ratem : decus Ausonii nomenque mereri,  
 22 Arsenique potes.  
 23 Tu nunc nostra quidem praesagia riseris : at mox  
 24 pondus habere scies.  
 25 Sic mihi fatidicus noctu praedixit Apollo :  
 26 sic cecinere novem.  
 27 Anne et ego ludor : quid enim Caducifer ales  
 28 missus ab axe monet ?  
 29 Ille ter, ille quater vigilanti sibila virga  
 30 edidit ante lyram.  
 31 Et tua subduxit subito mihi mobilis ora,  
 32 substituitque virum.  
 33 Nec tamen alterius monstrata coloris imago est,  
 34 dissimilisve tibi  
 35 ista quoque incensum corvi nigredine crinem,  
 36 cetera oloris habet.  
 37 Num tua sit facies, an non tua, nescio : talem  
 38 turbida vibrat aqua.  
 39 Amnis ubi moto resplendent fragmina vitro,  
 40 frons, gena, nasus hiant :  
 41 atque iterum coeunt, iterum divisa resultant,  
 42 ut levis aura movet,  
 43 sed neque constantem licuit pernoscere vultum,  
 44 impediente Deo.  
 45 Cumque oculos proprius vellem defigere, risit,  
 46 opposuitque manum.

## AD FLORIANUM WOLCKIUM. MALAE CONSCIENTIAE POENA.

04\_19 v.1 Nolis beatum dicere divitem  
 2 quemcumque, Wolcki ; sub nitida cute  
 3 tormenta gestamen profunda.  
 4 Omne scelus furit in scelestum.  
 5 Iniqua mens a se prius exigit  
 6 poenas nocentes, et Nemesis sibi  
 7 fit ipsa : nam quo laeta dormit  
 8 culpa toro ? Quibus aut veneni  
 9 secura mensis assidet ? Hinc jecur  
 10 extendat anser Tuscus, et advolet  
 11 guttata Phasis : Bacchus inde  
 12 vina senex generosa fundat :  
 13 conviva moestis criminibus satur  
 14 juxta facetos nauseat hospites :  
 15 aut dente moroso gelatas  
 16 triste dapes, velut umbra carpit.  
 17 Formidat hostem pacis in atrio.  
 18 Ut ille desit : non bene conscius,  
 19 lictoris instantem securim.  
 20 Consule se Mario, timebit.

AD CLARISSIMUM VIRUM JOANNEM PAVERIAM. LAUS ADAMI FIRMIONIS, CAECI.

04\_20 v.1 Audi, Paveria. Non adeo male  
 2 caecis esse, jubet credere Firmio :  
 3        felix accolा mortis,  
 4        et clarus sine lumine.  
 5 Seu currum revehit Phoebus ab Indiis :  
 6        seu Tartessiacis fluctibus avehit :  
 7        neutrum sidus adorat.  
 8        Formosissimus intimo  
 9        sol est ipse sibi. Mens gerit Hesperi  
 10      auroraeque vices : ac quoties libet,  
 11      festino cita motu  
 12      pertransit duplēcē Polum.  
 13 Haec secum : vacuo stat facies sinu,  
 14      nec fronti vigilat flamma : quid interest ?  
 15      Tanto plura quieti  
 16      Libertas animi videt.  
 17 Ut p̄aeferre nigris candida nesciam :  
 18      virtus qui vitio distet, et utili  
 19      secernatur honestum ;  
 20      alter Tiresias scio.  
 21 Orbē ille cavos percitus, et sacras  
 22      convertisse manus fertur ad aethera :  
 23      eventuraque cunctis  
 24      explorasse sagacius.  
 25 Vates antra petunt, et nemorum domos.  
 26 Qui diis cumque sacer lucus inhorruit,  
 27      densis reddidit umbris  
 28      obscurum venerabile.  
 29 Sic adsuesco mori. Manibus integris  
 30      addendus, patior jam medium necem.  
 31      Fatum plenius opto.  
 32 Tantum pars obiit mei.  
 33 Ibit sub tumulum corpus, et Atropon  
 34      fraudabit, solitam vellere palpebras ;  
 35      supremoque natantes  
 36      stellas demere funeri.  
 37 At liber veteri carcere spiritus,  
 38      vivas sese oculo lucis imagines,  
 39      vivo fonte fluentes,  
 40      vivis hauriet amphoris.  
 41 O spissum radiis ac nitidum mare !  
 42 O aeterna dies, et rapidum jubar !  
 43      O caligo serena,  
 44      lumen nobile gloriae !

AD BENNONEM ALTORFIUM. IN FUNERE DULCISSIMI F. EDMUNDI. ANNO M D C XLI.

04\_21 v.1 Quod vetant postes adamante fulti,  
 2 Filius numquam querulo redibit :  
 3        Orpheus plectro licet obserata  
 4        limina pulset.

5 Perdis, Altiorfi, lacrimas. Resiste  
 6 fortiter, dum se dolor ipse frangat.  
 7 Rapta lugenti fuit una, sed non  
 8 unica proles.  
 9 Restat Henricus, roseusque Benno  
 10 cujus octavum trieteris annum  
 11 nuper implevit, puer innocentis  
 12 musteus uvae.  
 13 Candido primum pede Magdalena  
 14 propulit lustrum, Catharina quartum.  
 15 Anna jam sponso, celebrique digna  
 16 comitur aulae.  
 17 At nec Edmundum perisse dicas.  
 18 Corpus hic tantum, luteasque (membra)  
 19 exuit vestes, placido daturus  
 20 lumina somno.  
 21 Vivit, Altiorfi, tuus ille vivit :  
 22 et sepulcrali positis in urna  
 23 vinculis, felix alium vagari  
 24 vadit in Orbem.

## AD CLARISSIMUM VIRUM. ARSACIUM MAMIRODAM. CUR PRISCI CREDIDERINT

04\_22 v.1 Unde suos hominum genetrix Cytherea ducat ortus,  
 2 me cogis indagare, Mamiroda.  
 3 Argolici natam maris aequore prodidere vates :  
 4 ornantque causis fabulam decoris.  
 5 Namque et nomen adhuc Aphrodisia servat, et tepenti  
 6 mulcetur ipsa, filiusque, limpha.  
 7 Navigat omnis amans : et habet sua, quae Favoniorum  
 8 vexilla flabris explicet Cupido.  
 9 Mittant in Venetum cymbas mare, qui volunt amando  
 10 ludi nocentis crimen experiri.  
 11 Forsan et hinc Flacco trabs Cypria dicitur carina ;  
 12 quod Diva Cypri navitas gubernet.  
 13 Priamides celebrem rapturus adulteram Lacaenis,  
 14 tentavit aequor, impulitque classem.  
 15 Per freta Leander spumantia, turbidosque fluctus,  
 16 suum natavit invenire scrotum.  
 17 Si vitasset aquas et litora ; non fuisset albi  
 18 Europa plorans praeda facta Tauri.  
 19 An fera caeruleis est luxuriosior juvencis ?  
 20 Daturne glaucas inter ulla Virgo ?  
 21 Innantes mediis Nereidas ardor urit undis ?  
 22 Tritone flagrat inquieta Doris.  
 23 Oceano majus non est, neque turpius lupanar.  
 24 Impune spernunt Naiades Tridentem :  
 25 vivit ibi Pistrix pendentibus exsoluta mammis ;  
 26 cantuque Siren blanda fallit aures.  
 27 Juppiter ingenum praedo quibus abstulit pudorem,  
 28 mercede pactas jussit esse Nymphas  
 29 humida sunt in aquis incendia, quod probat bitumen,  
 30 salsique thermae sulphurisque foetae.  
 31 Mulciber, (haec fama est) uxorius, ut placeret aegrae,  
 32 (vexabat aegram conjugem catarrhus)  
 33 sollicitus morbum depellere, frigidamque tussim,

34                implevit ora fontium calore.  
 35        Durat adhuc, multisque locis, quibus aestuant cavernae,  
 36                telluris uber flammeum liquescit.  
 37        Balnea Naturae Vulcania nominamus. Illis  
 38                lavat Dione, concolorque sexus.  
 39        Rara vehunt purum jam flumina sordibus liquorem :  
 40                illime rara trudit urna vitrum.  
 41        Saepe quidem primo Pimplea ferocius scaturit,  
 42                geluque castum pollicetur unda.  
 43        Foedo polluitur mox crimine, molliorque Baiis  
 44                enervat artus, feminamque fundit.  
 45        Vertitur in fontem post fata libidinosus Acis :  
 46                incesta Byblis solvit ore rivum.  
 47        Fronte vel inspecto Narcissus amavit insolenter,  
 48                desideratum se sibi procatus.  
 49        Alpheus, fugitiva, tuos, Arethusa, novit ignes,  
 50                antrisque caeca furta sub Sicanis,  
 51                denique quid Paphium multis opus explicare partum ?  
 52                Loquatur ipse, nominetque Matrem.  
 53        Nam mala si corvus ponit malus ova, furque furis,  
 54                confecta res est, et lupam tenemus.  
 55        Illius est infans, cuius bibit impudica mores  
 56                artesque easdem possidet nocendi :  
 57        ut Thetis e portu placidissima remiges in altum  
 58                invitat aequor, nesciosque mergit :  
 59        sic meretrix oculis ridentibus allicit juventam  
 60                sorbetque blanda naufragam Charybdi.  
 61        In Scylla facies pulcherrima, sed canina saevum  
 62                latrat papilla, latrat umbilicus  
 63        seu mare, falsa Venus, sua gaudia terminat dolore  
 64                aestu marinos aemulatur aestus.  
 65        Innumeratos haurit Neptunia, nec redundant, amnes  
 66                avara semper moecha dicit, affer.

PALINODIA. RECTIUS DICCI, VENEREM EX LIMO TERRAE ORIGINEM TRAXISSE..

04\_23 v.1        Lampade si dira tantum Venus ureret phaselum,  
 2                nullis flagrarent ignibus quadrigae ;  
 3        forsitan orta salo credi dea posset irrepta.  
 4                Extra sed undas illa saevit aequa.  
 5        Utque exempla probant, crudelius imperat sub axe  
 6                torrente Mavors pauperes aquai,  
 7        desinat obscuris Graium vetus error involucris  
 8                docere pulchri vim genusque monstri.  
 9        Verius ac multo sollertia, Ildephonse, pandis :  
 10                et insitivum fomitem malorum,  
 11        non pelagi bullis cudentibus imputas, sed eheu,  
 12                luto rubentis pulverique terrae.  
 13        Qua stetit effectus nostrum Pater, omniumque latro  
 14                ausus superbe velle numen esse  
 15        antiquas retegis silvas : ubi concupivit Eva  
 16                fatale pomum, noxiunque carpsit.  
 17        Corporis humani qui nunc vagus obsidet medullas,  
 18                accedit ignem primus esuritor.  
 19        In stimulo culpae sacer ossibus implicatus ardet,  
 20                undantis Aetna quantus est caminus.

21 Quod mirere tamen, non nititur evolare sursum,  
 22 instarque plumbi semper ima quaerit.  
 23 Terra Venus : terram soboles petit, improbus Cupido  
 24 levi puello cedit omne pondus.  
 25 Interea certis habitare cubilibus videmus,  
 26 seu valle prona, colle seu supino.  
 27 Illi gratus Eryx, Amathusque dicatur et Cythaera,  
 28 taedaeque fabra nuptialis Ida.  
 29 Iste per umbrosum volitat nemus, excutitque mala,  
 30 peccantis heres pertinax Adami.  
 31 Malo Cydippen delusit Acontius doloso,  
 32 astum nocentis aemulatus anguis.  
 33 Mollis adhuc hodie lascivia regnat in viretis,  
 34 lenone serta dividente Maio.  
 35 Hic ludit petulans Dryadum chorus, elicitque saltus  
 36 Faunus latentes capripes Napaeas,  
 37 hic Erycina quatit terram pede ; quasque laesa tangit,  
 38 rubore spinas imbuit rosarum :  
 39 hic super arboribus spiraria sentiunt amantes,  
 40 alnove glauca, populove cana.  
 41 Hoc neque dissimulat vel Achaica, vel Latina Clio,  
 42 flores Amori consecrans et hortos.  
 43 Ipsa sub occasum nam funera saepe floruerunt,  
 44 ornata miris frondium capillis,  
 45 Pyramus et Thisbe testes tibi : nunc uterque morus ;  
 46 olim puerulus hic, et haec puella.  
 47 Myrrha patri, plus quam licet addere, cara lacrimatur,  
 48 suumque nomen stillat uda myrrham.  
 49 Flavos in campis Hyacinthus, et indices Adonis  
 50 leti cruentos explicant colores.  
 51 Usque adeo sicciam potius Venus asserit parentem,  
 52 sororque dici Naiadum recusat.  
 53 Sive tamen Terrae gremio sata, seu maris profundo ;  
 54 utroque, quam sit vana, prodit ortu.  
 55 Tam cito quippe levis fugit, et brevis interit voluptas  
 56 quam flos in agro, cana spuma ponto.

## EQUUS A S. JOB.. DESCRIPTUS C. 39 ET AB AUCTORE CUM GRATIA DEI COMPARATUS

04\_24 v.1 Adduco pastum sidereis equum,  
 2 Philippe, campis : cui nec Ariona  
 3 Adrastus, Aethonemve Solis  
 4 Lucifer aequiparare possit.  
 5 Huic cedit alae Cyllarus igneae,  
 6 flavique Xanthus pulcher Achillei,  
 7 ut ore fulvum mandit aurum !  
 8 ut virides agitat smaragdos.  
 9 Candetque spumis ! Ut male pendula  
 10 ferocit humectare monilia !  
 11 Ceu vile dedignetur ostrum,  
 12 impatiens phalerarum, et auri.  
 13 In jussa densum colla fluentibus  
 14 erecta cervix luxuriat jubis :  
 15 quas non in Argaei pruinis,  
 16 aut tumidi nive lavit Hebri :  
 17 sed sparsus altis caedibus, in sacro

18 Jordane tinxit, caeruleus color,  
 19 Glaucusque spadicem remiscet :  
 20 quem Pholoe pecorosa laudat.  
 21 Mundi lutosas ingrediens vias,  
 22 sustollit argutum ad superos caput.  
 23 Non ille pilentis jugari,  
 24 aut Cyprio patietur arvo  
 25 versare glaebris : non scelerum jugo  
 26 pressus pudendam circumaget molam.  
 27 Fastidit indignos labores  
 28 arduus opprobriumque culpae.  
 29 Undas et ignes per medios fugit,  
 30 ventis et ala fulminis ocior.  
 31 Per summa camporum, marinae  
 32 siccus aquae, segetesque fertur ;  
 33 ut nulla culmos proterat ungula.  
 34 Hinnitus ejus, viva tonitura ;  
 35 clangorque declamata circum  
 36 colla datus, sonitus acuti.  
 37 At non locustae more fugabitur,  
 38 durante pugna gloria narium  
 39 terrore fumat. Nec sagittis,  
 40 nec facibus gladiove cedit.  
 41 Hinc vibret hastas ira, vel ambitus :  
 42 illinc pharetrae tela Cupidinis  
 43 figenda promant, aut veneno  
 44 invidiae medicata fastus :  
 45 subit procellam fortior alipes,  
 46 fervens fremensque, et sorbet anhelitu  
 47 terram, volaturusque nescit  
 48 stare loco, remorasque damnat.  
 49 Nisi antecedant classica, praefurit ;  
 50 sibique factus buccina turbidum  
 51 laetatur, hostiliisque poscit  
 52 pabula diripienda campo.  
 53 In Christianos bella moventibus  
 54 late tyrannis : ex stabulo procul  
 55 saevos odoratur Nerones,  
 56 aure micans : Decioque dicit  
 57 vah ! Maximino vah ! Simul irruit  
 58 flammis, et atrum Ditis Alastora  
 59 contemptor, Orphaeumque stricto  
 60 calce ferit simul insidentem  
 61 ad castra tollens nubibus invehit,  
 62 scribitque gyros : victor Olympica  
 63 donatur, Eleaque palma,  
 64 diis etiam Hippomedon canendus.  
 65 O digne tali magnanimum genus,  
 66 equo, jugalem, Mandora, gratiam  
 67 concende. Secure veheris  
 68 non alio tamen usus olim  
 69 cruenta stravit monstra Georgius,  
 70 ne frena captes : te reget invia  
 71 permitte sectari superbo  
 72 (nam labor est inhibere) passu.

## AD SERENISSIMUM PRINCIPEM FERDINANDUM CAROLUM ARCHIDUCEM AUSTRIAE

04\_25 v.1 Et te canemus : nunc tenui lyra,  
 2 olim tubarum Mercurialium  
 3 fragore magno, Ferdinande,  
 4 Austriadum generosa cervix.  
 5 Quamquam Cybele patria montibus  
 6 inclusit altis : jam tamen emines  
 7 sublimis ; Europamque, et omnem  
 8 intuitu velut ominoso  
 9 metiris Orbem, jam sapientia  
 10 canis juventae caesariem tuae  
 11 ornavit, in matura tendis  
 12 secula, praeripuisse sollers  
 13 tantillus aevum conscientia mens sui.  
 14 Montes et annos transilit impares.  
 15 Sed est et ipsa laude forma  
 16 corporis, imperioque digna.  
 17 Frontem venustis Claudia gratiis,  
 18 et Mediceo sidere miscuit :  
 19 deditque Florentina vivum  
 20 in facie radiare florem.  
 21 At pectus amplum, et contremere igneum,  
 22 atque incubantem, magnam animam pater  
 23 possedit, implevitque venas.  
 24 In roseo Leopoldus ore  
 25 sedet, videri laetus et aureo  
 26 fulgore praesens. Ille quidem diem  
 27 exemptus humanum reliquit,  
 28 alterius speculator orbis :  
 29 tu vero vultu moribus, indole  
 30 sic vindicatam reddis imaginem ;  
 31 nil distet ut vivo sepultus  
 32 o patriae Pietatis haeres  
 33 ex asse, salve, qualiter imbuis  
 34 commune votum ! Verba virum sonant :  
 35 scis culmen inclinare civi.  
 36 Cum tot avis, serieque longa  
 37 possis, et alti fulgere sanguinis,  
 38 virtute mavis Ascanius cani  
 39 sic itur, o Princeps, ad astra,  
 40 diis genite, et geniture divos.

## AD JO. ALBULAM. VIRTUTIS GENIUS.

04\_26 v.1 Virtus aetherei conscientia sanguinis,  
 2 astrorumque soror non amat, Albula,  
 3 inter serpere fungos,  
 4 et declivia vallium.  
 5 Semper summa petit quo, neque nubium  
 6 nautam Romulei flammigerum Jovis,  
 7 pleno concita vento  
 8 transfert penna satellitem.  
 9 Illius, labor, est nobile pabulum.  
 10 Acclinis clipeo porrigitur quies :  
 11 acceditque soporem

12                belli dulce periculum.  
 13        Jam cum sidereis otia fratribus ;  
 14        jam cum fluminibus praelia dividit :  
 15                lustralique tonantis  
 16                gestit sulphure spargier,  
 17        supra fata rapax tollere se, domat  
 18        formosis humilem sub pedibus metum.  
 19                Si Fortuna laccessit.  
 20        Constans adicitur sibi.  
 21        At, cum pulvereo fumat ab aequore.  
 22        Corpus non gelida fluminis abluit :  
 23                sed sudore lavatur,  
 24                neglectu dea pulchrior.  
 25        Auri nulla fames, nulla sitis lucri.  
 26        Designatur humum figere spiculis,  
 27                arcus tota cupido  
 28                metam fertur in arduam.  
 29        Promittente necem vulnere gloriae,  
 30        migrat cum Domino fida comes suo  
 31                heredique superbit  
 32                linqui, seu spolium, pigre.

## PANEGYRICON DE LAUDIBUS B. MARIAE V. CARMEN VOTIVUM.

04\_27 v.1        Unde deducet tuus orsa vates,  
 2                Virgo, centenis celebrata linguis ?  
 3                Virgo, centenis celebranda linguis :  
 4                omnia cantant  
 5                hinc tibi circum nemorosa montes  
 6                colla substernunt, ut in astra tollant :  
 7                in tuas illinc saliunt aquarum  
 8                murmura laudes.  
 9                Lucas Hermonis, Sabamaea prata,  
 10                collis Engaddi, Balhamonis hortus,  
 11                alta Carmeli juga te reclini :  
 12                hospite gaudent.  
 13                Te capillatam velit aura cedrum,  
 14                quanta persultat Libanitis Austros :  
 15                te velit molli platanum fluento  
 16                lambere rivos.  
 17                Posceris flavae, terebinthe, valli :  
 18                posceris clauso, Cyparisse, campo :  
 19                praeripit celsa tamen arce rupes  
 20                sacra Sionis.  
 21                Te petunt saltus virides Phogori :  
 22                te suis palmae foliis cadanae,  
 23                Virgo, scripserunt ; Amanaeque vertex  
 24                curvus adiri.  
 25                Ille Jordanes, tibi transeunti,  
 26                hinc at hinc late vitreis in altum  
 27                substitit muris, mediaeque cessit  
 28                foederis arcae.  
 29                Stantis immotas Hesebonis undas  
 30                pinxit insigni Zephyrus figura :  
 31                quae tuos summo tibi, Nympha, reddit  
 32                margine vultus.

33 Vena tu vitae, puto salutis  
 34 irrigas siccos ; medicamque vivae.  
 35 Lucis infundis scatebram, dolore  
     mentibus aegris.  
 37 Umbra tu crescens et opaca mali.  
 38 Protegis fessos, reficisque vires.  
 39 In rubo spargis jubar ominosae  
     herbida flammae.  
 41 Scala tu caeli, superanda certos  
 42 nexilis fulcri radios ab alto  
 43 ducis in terram, solidoque signas  
     aere passus.  
 45 Seu Polo dici Cynosura mavis ;  
 46 clara nocturno regis igne nautas :  
 47 seu diem faustum bona nuntiare :  
     nobilis Eos.  
 49 Illa captivi Patris e fenestra  
 50 missa post tristes pluvias columba,  
 51 ore decerptam rediens tulisti  
     pacis olivam.  
 53 Hispidi quamvis habitemus inter  
 54 saxa Saniri : tamen ex Olympo  
 55 dicere nobis gemuisse visis  
     turturis instar.  
 57 Plumeum laevis bene cujus alas  
 58 pingat argentum : bene praeter alas  
 59 cujus et collum, varioque dorsum  
     palleat auro.  
 61 Nos quidem raucae gemitu palumbes  
 62 candidas caeli volucres fugamus :  
 63 sunt tamen raucae tibi visa dignae  
     cura palumbes.  
 65 Fixa qui caelo numerabit astra,  
 66 et maris guttas, nemorumque crines :  
 67 se tuas jactet numerasse dotes  
     falsus Apollo  
 69 verna post longas hiemes voluptas :  
 70 dulce post nimbos animi serenum :  
 71 grata messori, medioque in aestu  
     roscida nubes :  
 73 qualis adversi rubet icta telo  
 74 solis, et presso sinuatur arcu :  
 75 quae novos lucis variat repulsi  
     mille colores.  
 77 Ista, suspenso licet orbe, nondum  
 78 floridam densos animam per imbrues  
 79 Iris exhalat, tamen ex amico  
     vulnere rorat.  
 81 Ceteri flores cito proteruntur,  
 82 et senes forma pereunte marcent :  
 83 non timet mortem Rosa non aniles  
     mystica rugas.  
 85 Virgo sed summas quis ad umbilicum  
 86 exigat laudes ? Niveis et ipse  
 87 liliis venter, gravidoque frugum  
     turget acervo.

DE POMPEIO MAGNO, IULIO CAESARE, CATONE UTICENSI, IN TABULA DEPICTIS AB ALBERTO DURERO.

04\_28 v.1 Partum tueri difficile est, ubi  
 2 collisa virtus ipsa sibi nocet,  
 3 molesque justo major. Hi sunt,  
 4 hi laceri duo frustra Mundi  
 5 damnosa. Canus ferre negat parem.  
 6 Calvus priorem dividitur scelus ;  
 7 civilis a belli tumultu  
 8 Peliaceae tonuere valles.  
 9 Per ipsa juris viscera lanceam,  
 10 per et Senatum torserat aemulus.  
 11 Extrema libertatis umbra  
 12 hoc steterat removenda jactu.  
 13 At non eadem mente domabilis  
 14 vultum tyranni sustinuit Cato.  
 15 Romana libertas Catoni  
 16 posthabita placuisse Roma  
 17 vitaque fertur. Carior altera  
 18 non uxor illi. Marmaricas simul  
 19 nudi peragrarunt arenas :  
 20 ense simul periere fixo.  
 21 Audire Caesar qui potuit sua  
 22 manu peremptum, non potuit tamen  
 23 videre servum quanta, Iuli,  
 24 Funera Thessalicis humasti  
 25 Vespollo campis ! Rectius alteri  
 26 impensus hosti, Thracibus aut Dahis  
 27 fuisset ulturusque Crassum  
 28 Assyriis cruor ille Carrhis.

PALINODIA. NON ABHORRERE SE A QUIBUSDAM STOICAE SECTAE SCITIS.

04\_29 v.1 Sint infecta precor, quae nuper facta volebam  
 2 et ventis commissa ferantur.  
 3 Quod tibi sacrilego, vates, scelus excidit ore ?  
 4 Tu veterem dimittere, sectam ?  
 5 Et, profugus signis, magnoque Catone relicto.  
 6 Ad vilem decurrere vulgum :  
 7 Isara, curre retro : quiique in mare volvitur Ister  
 8 summa petat cunabula Rheni.  
 9 Scilicet, offensus rigida virtute recedis :  
 10 et praeceps te semita terret.  
 11 Audes laudati studiis contrarius aevi  
 12 antiquos turbare sodales.  
 13 Sed quid ad haec Birrus, quid Varnia dicet amicus  
 14 et major Bascadus utroque ?  
 15 Tres istos Thraseae semper conferre solebas.  
 16 Helvidio par ipse futurus.  
 17 Insuper evulgas caniscreta magistri,  
 18 conatu temerata profano.  
 19 Ac merito possint tantum conficta videri  
 20 Alsaticae ludibria buccae.  
 21 Transfuga praeteritos ut damnes turpiter annos,  
 22 et Cynica de fraude queraris :

23       cui noceas ? Nulla socii, quos deseris, arte,  
 24            propterea, vel voce moventur.  
 25       Sed tua spernentes recto convicia vultu,  
 26            ut rigido stant aere columnae  
 27       non cadit in vere sapientem injuria cunctis  
 28            ille malis sublimior exstat.  
 29       Disce Stoae jam nunc paecepta immania, fundo  
 30            virtutem solidare tenaci.  
 31       Disce, quod inculcant : pulchrum est, ut marmor ad ictus  
 32            durari, tormentaque frontem.  
 33       Pulchrum est, in lacrimas numquam subsidere : quamvis  
 34            hinc glacies, hinc torqueat aestus.  
 35       Pulchrum est, aeternis animos affigere signis :  
 36            et nullo terrore domandum  
 37       Fortunae tergum, Fatisque ostendere pectus,  
 38            quod signet formosa cicatrix  
 39       pulcher contemptus mortis, quaecumque citarit.  
 40            Seu velox, seu tardior hora ;  
 41       posse loqui fastos, et semper dicere, vixi.  
 42            Vos nati conjuxque valete,  
 43       cur igitur sacris fugi perjurus ab Aris ?  
 44            Quis rapidum furor egit in arma ?  
 45       Me me adsum, qui feci me converte, Riverna,  
 46            nodosum, neque desine, fustem.  
 47       Peccavi, fateorque nefas : quod cum cane gallus,  
 48            et serpens et simia plectat,  
 49       posthac si fallam, ruar omnis porticus in me :  
 50            fracta meum sit testa sepulcrum.  
 51       Cochleolas Phrygis assiduo versare paratus,  
 52            et tineas arcere libello :  
 53       omnia quae verax ructavit Corduba, linguam,  
 54            Zenonis juratus Achates :  
 55       et, si fata ferant, sparsurus sanguine thermas,  
 56            cum Seneca mittente cruento.

AD ANDREAM LABIENUM. M. LABIENI CONSULTISSIMI VIRI STOICI F. PRAECEPTA VIVENDI STOICA.

04\_30   v.1     Disce, quid prosit, Labiene Marci,  
 2            prima dum flores imitatur aetas :  
 3            dum comae vernant, per et ora serpit  
 4            umbra juventae.  
 5       Decident olim virides capilli  
 6            in nivem, cana subeunte bruma.  
 7       Decidet vivax et amoena fissis  
 8            purpura labris.  
 9       Cuncta labuntur, fugiuntque passim  
 10          sole per vastos fugiente campos :  
 11          cumque Saturno redditura numquam  
 12            tempora currunt  
 13          ipsa festinat mora. Qualis unda  
 14          ante se motam pede trudit undam :  
 15          talis impellit nova semper horam  
 16            hora sororem.  
 17          Una stat virtus, medioque durat  
 18          quo loco gressum solidata fixit.  
 19          Causa vivendi perit hac remota,

20                    vitaque mors est,  
 21                    mitte cunctari bonus esse, nec te  
 22                    differ incertum. Properas habere  
 23                    multa, quae non es : nec habere te ve-  
 24                    locius ambis ?  
 25                    Culpa vitetur, fluit haec in omnes  
 26                    fertilis poenas, subigitque sontem.  
 27                    Teste se solo reus, est eodem  
 28                    judice plexus.  
 29                    Summa ne quaeras, mediis iturus  
 30                    tutior campis propiorve ripae.  
 31                    Semper aut ventos timet, aut ruinam.  
 32                    Quisquis in alto est.  
 33                    Scilicet, parvam Borea phaselum  
 34                    praeterit glaucas prope litus herbas  
 35                    ungue carpentem ; medioque sternit  
 36                    aequore classes.  
 37                    Si quid argenti gravis arca perdit,  
 38                    parca lamentis onerare caelum.  
 39                    Quidquid amittes vitii. Vocabis  
 40                    utile damnum.  
 41                    Corporis formam patiens videri,  
 42                    laxat astrictos humeris amictus :  
 43                    ut bonum cernas animique dotes,  
 44                    exue corpus.  
 45                    Intus est, quo sis opulentus : intus  
 46                    Gaza Persarum latet : intus auri  
 47                    vena sublucet penetranda. Frustra  
 48                    quaeritur extra.  
 49                    Vile, Fortunam, Labiene, dices :  
 50                    turpe, promissis et amore flecti.  
 51                    Turpe, mulcenti placidaeque laetum  
 52                    porgere vultum.  
 53                    Turpe, cum blandam faciem retorsit.  
 54                    Flere et irasci miseranda questum :  
 55                    more cedentis pueri columnam,  
 56                    si caput icit.  
 57                    Qualis immenso bibet ore dulces.  
 58                    Nereus lymphas ; tamen ipse numquam  
 59                    dulce mutatur , sibi semper idem,  
 60                    semper amarus.  
 61                    Talis adversas sapiens procellas  
 62                    haurit, et fortes, variosque casus.  
 63                    Frontis immotae facies colorem  
 64                    servat eundem.  
 65                    Pauper infelix, habet unde sese  
 66                    jactet : et fatis, velut exprobrando,  
 67                    major ostendat nitidum sinistri  
 68                    pollicis unguem.

## AD CHRISTOPHORUM IMMOLAM STOICUM. DE SE IPSO.

04\_31    v.1      Contemno quaedam, et calco superbia  
 2                laudabili. Cur, Immola, serviam  
 3                famae volutanti susurros ?  
 4                Cur timeam sine Marte linguas ?

5 Non est meum, si plebs amat aequior,  
 6 gaudere : si plebs odit iniquior,  
 7 dolere permistam lupinis  
 8 dedecorum decorumque mercem,  
 9 quae pisculento venditur in foro,  
 10 pari moneta solvo, quid interest ?  
 11 Contemnar a vili popello,  
 12 an celebrer, digito faventis  
 13 monstrandus, hic est. Seu mihi pollicem  
 14 Subura vertat, seu premat ; improba  
 15 virtute tantundem rependo.  
 16 Meque mea involuo lacerna.

## CANTATA FERIIS NATALICIIS CHRISTI. SPECULUM SINE MACULA.

04\_32 v.1 Ecce Crystallus sine labe pura :  
 2 cui suum toto Deus ore vultum  
 3 (filium) impressit, speculi nitentis  
 4 captus amore.  
 5 Tota jam vere, dea, tota pulcra es.  
 6 Tu quidem Virgo quoque pulcra : sed cum  
 7 Mater et Virgo celebraris ; es te  
 8 pulcrior ipsa.

## AD ALBERTUM MURRAM STOICUM. VERAE DIVITIAE.

04\_33 v.1 Sunt in tabernis ac stabulis opes,  
 2 foedumque cellis crimen olentibus.  
 3 Et in deorum fulget ara,  
 4 et cavea meretricis aurum.  
 5 Tam latro nummos, quam patriae pater  
 6 fert in crumena, nec magis integer  
 7 ac castus argento sacerdos,  
 8 quam fruitur sceleratus augur.  
 9 Quod si potentes illecebros forent,  
 10 Alberte, verum divitiae bonum :  
 11 illas haberet sola virtus,  
 12 sola daret ; neque sic profanis  
 13 concederentur mentibus, ut sacris.  
 14 Passim frequenti ridiculum foro  
 15 plebeia mendicaret aera  
 16 flagitium ; vacuusque culpae,  
 17 iret per omnes plenus opum vias.  
 18 Sic ergo tecum : cur inhio lucris ?  
 19 Quam magna certatim ferentem  
 20 numquam animo meliore possunt  
 21 donare, quam sit : sed neque reddere  
 22 ablata pejorem ? An vacuas manus  
 23 mens plena non compenset, auro  
 24 nobilior ? Satis est agellus  
 25 desideranti quod satis. Unice  
 26 possessus a me sufficio mihi.  
 27 Quid plura quaeram ? Parva si sunt  
 28 optima : si bonus ipse praesto.

## AD VIRGINEM MATREM. IN CRYPTA MONACENSI PROPITIAM.

04\_34 v.1 Te licet, Virgo, decuisset arcus :  
 2 qualis immani Latiae coruscat  
 3 Urbis in templo ; croceisve pingit  
 4 nubibus Iris.  
 5 Hic tenebroso tamen in recessu,  
 6 parva contentam facilemque tecti  
 7 ara sustentat ; modicaeque gaudes  
 8 nomine cryptae,  
 9 qui sit, o puri sata luce solis ?  
 10 Plurimum gaudes aditu sacrae ca-  
 11 liginis pleno, bene quam replevit  
 12 entheus horror.  
 13 Testis Oetingae celebrata sedes,  
 14 noctis arcanae pretio verenda :  
 15 quaeque famosum nemus Helvetarum  
 16 reddit Eremus.  
 17 Anne, quod sicut Cedarena pellis,  
 18 ipsa fis pulchro quoque nigra vultu ;  
 19 decolorantis nimios Olympi  
 20 passa calores ;  
 21 anne servorum domitura fastum.  
 22 Nunc quoque ancillam Domini professa,  
 23 culmen aularum, radiosque, et aurum  
 24 sponte remittis ?  
 25 Forsan, ut nobis adimas pudorem,  
 26 et scelus toto fateamur ore,  
 27 amoves lumen, nebulaque sepis  
 28 judicis iram.  
 29 Quidquid est, tales tenebras amamus.  
 30 Dulcis obscurae placet aedis umbra.  
 31 Prae palatino mihi ridet iste  
 32 augulus horto,

## VATICINIUM DE AUGIA MONACENSI. CUM EAM EX CREPIDINE PROPINQUI CLIVI CONTEMPLARETUR.

04\_35 v.1 Si prisca mecum volvo Palilia ;  
 2 quae, cum locaret moenia Romulus,  
 3 dicata pastores quotannis  
 4 jussit agris iterare Pastor :  
 5 Augia, metam tu quoque proferes  
 6 ultra fluentem longius Isaram :  
 7 urbique vicinae superba  
 8 contiguas sociabis aedes.  
 9 Succrescit altam semen in arborem.  
 10 A fonte quamvis exiguo, fluunt  
 11 immensa, per terras, in altum  
 12 flumina, terrificantque classes.  
 13 Altricis infans uberibus lupae  
 14 pastus, ferocem stravit Amulum :  
 15 duxitque muros, quaeque primum  
 16 fratre Remo rubuere fossae.

17 Urbs parva, mundi facta caput, patrum  
 18 fecunda pleno sidere floruit ;  
 19 Quando voluptatem Sabinae  
 20 nescierant, mediisque consul  
 21 quaesitus arvis, ante boves stetit ;  
 22 qui cras Faliscos sub juga mitteret  
 23 boum, Fidenatesque victos  
 24 jungeret, et Gabios Latinis.  
 25 Orante Pyrrho divite, supplicis  
 26 contemptor auri Fabricius fabam  
 27 coquebat et pultes : colonus  
 28 hic segetes, alibi rebellem  
 29 messurus hostem. Pauperies manu  
 30 subegit orbem. Publica rusticus  
 31 dictator e Veiente curru  
 32 jura dabat, populisque leges.  
 33 O Alba, numquam tota beatior  
 34 scribenda fastis. Dii quoque fictiles  
 35 sunt plura concessisse visi  
 36 in casula Curibus saligna :  
 37 quam cum Sabaeas Juppiter aureus  
 38 oleret aras. Sed tibi sanctius  
 39 edico Fatum, Boia pubes.  
 40 Si modico tua tecta sumptu,  
 41 minore vitam duxeris integrum :  
 42 Majore divum templa refeceris :  
 43 tuas in impensas avara,  
 44 Virgineae tamen inde Matri,  
 45 hinc purpurato prodiga Carolo ;  
 46 augia, cresces : veraque senseris,  
 47 cum jam sepultum terra condet.  
 48 Alsatiae cecinisse vatem.

## MELANCHOLIA.

04\_36 v.1 Semper ego inclusus Germanae finibus orae,  
 2 in Bavara tellure senescam !  
 3 Tristibus imperiis spatio retinentur in arcto,  
 4 et curtum male perdimus aevum.  
 5 Atqui vincla licet rupto dissolvere nodo,  
 6 et clausas diducere turres.  
 7 Graeculus effugiens aliquis Minoia regna,  
 8 ceratas sibi sumpserat alas.  
 9 Sed neque fallaces ventos tentare necesse est  
 10 lapsuris super aequora pennis.  
 11 Tota mihi quamvis adeo Germania carcer,  
 12 deterius quoque carcere corpus :  
 13 libera mens tamen est, ubi vult, habitatque volatque.  
 14 In pelago non impedit Auster :  
 15 In terris non tardat obex. Transcendit et Alpes  
 16 nubiferas, ac sidera pulsat.  
 17 Accedit Phoebi donum, divina Poesis.  
 18 Hac fretus, velocior Euro,  
 19 Euri nascentis patriam, cunasque videbo.  
 20 Aurorae rapiendus in ortum.

AUCTOR COMITE SOCIO IODOCO BIRRO, CONSTANTINOPOLIM PERLUSTRAT. ENTHUSIASMUS.

04\_37 v.1 Hoc ergo Bizas, quod video, mare  
 2 extrema Thracum ductus ad ostia :  
 3       istamne Constantinus olim  
 4       Memnoniis habitavit oris  
 5       metatus Urbem ! Vertere, navita,  
 6       remisque retro pelle liburnicam.  
 7       Erramus in portu. Sed alnum  
 8       nec nocet applicuisse terris :  
 9       visamus Urbem. Proh rapidae vices,  
 10      fatique cursus ! Heu volucris rota,  
 11       Orbisque Fortunae per Orbem  
 12       lubricus, ac facilis moveri !  
 13       Nempe ille tanti conditor imperi,  
 14       Jodoce, Romam condidit alteram  
 15       dotalis Aurora rubenti  
 16       in gremio, stabilemque fixit :  
 17       ut Turca tanto splendidius suas  
 18       fundaret arces ! Quod poterit fretum,  
 19       quae spuma nitri, vos Achivos,  
 20       teque Palaeologum lavare !  
 21       En : quo rebelles error, et impia  
 22       in numen egit seditio ! Jacent,  
 23       jacent avita sede pulsi.  
 24       Qui tumidos prius ac feroce  
 25       justo Gelonos Marte subegerant ;  
 26       gemunt subacti, quos tremuit nigra  
 27       et alba Thetis ; jam flagellat  
 28       Argolico rubefacta tabo.  
 29       Figuntur altis crimina turribus :  
 30       adversa soli culmina fulgurant :  
 31       lucent adoratae per arcus  
 32       innumerous simulacra Lunae.  
 33       Eheu ! Quot annos pulchraque secula  
 34       dies nepotum perdidit unicus !  
 35       Segnis dragones quam verendi  
 36       canitiem violavit aevi !

CANTATA IN MODUM CHORI. CUM AUCTOR ET IODOCUS BIRRUS, IN FORO CONSTANTINOPOLITANO

04\_38 v.1 Isto, Birre, loco, sistere lacrimas  
 2 possis et gemitus ! Ipsa, licet silex,  
 3 hic ploret Niobe, si videat malis  
 4 tanto plura suis. En miserabilem  
 5 vincit compedibus proluviem gregis.  
 6 Squalent funereis corpora sordibus.  
 7 Vultus horrifici, terribilis pilus :  
 8 unguis in digitis sunt digitis pares.  
 9 Artati juvenes funibus in globum,  
 10 turbatis feriunt questibus aera.  
 11 Captivo mulier vellitur a viro.  
 12 Torvae deiciunt lumina virgines :  
 13 nudarum nimius pene dolor stupet.

14 In poenis miseras profuerat mori.  
 15 Letum continuum torquet acerbius.  
 16 O inculta ferae pectora Thraciae !  
 17 Seu vos pasta nigris bellua viperis  
   in litus pelagi faucibus exspuit ;  
 19 seu Gaetula tigris, sive nocentior  
 20 rupes naufragiis tristibus edidit :  
 21 certe non hominis vos uterus tulit.  
 22 At quam se nitidis, Gens Othomannica,  
 23 pantherae bipedes vestibus excolunt !  
 24 Pendent ex humeris candida galbana,  
 25 ad talos scutulis usque fluentibus.  
 26 Omnes imposito turbine vertici,  
 27 sudant vile caput tollere celsius.  
 28 Ecquis caeruleas ingreditur senex  
 29 indutus tunicas ? Turrigeram virens  
 30 sapphiro cidaris caesariem premit.  
 31 Summae forsan erit Muftius infulae,  
 32 inter Bistonios nobilior popas.  
 33 Ut torrens rapidus, confluit in Forum  
 34 linguis, ore, coma natio discolor.  
 35 Tortis mollis Arabs ambulat et Cilix,  
 36 et tortis aliter crinibus Aethiops.  
 37 Colchis mistus Hiber, Sarmata Teutoni,  
 38 et Pelusiakis mercibus Italus.  
 39 Hi gestant gladios, hi jaculum manu :  
 40 alter gesta ferens. Alter acinacem.  
 41 Pars fuscant faciem, pars minio rubent.  
 42 Errant hic etiam Suevus et Alsata ,  
 43 ambo sub dominis pluribus exsules.  
 44 Ex baccis prior agnoscitur ; has queas  
 45 vaginam potius dicere corporis.  
 46 A rhombis varium versicoloribus  
 47 thoracem religat fibula multiplex.  
 48 Qui vero Salii per plateas canunt  
 49 scindentes fatuo brachia vulnere ?  
 50 Acti ceu furis, ad Berecynthiae  
 51 spumant castra Deae. Scilicet, obviis  
 52 vendit ludibrium fraus Mahometica :  
 53 nec gratis rabies carnificum dolet.  
 54 Sanguis post pretium, fallor : an igneas  
 55 sorberi video gutture laminas ?  
 56 Os impune calens, aspice, sibilat,  
 57 scintillasque vomit. Quo, nisi fascino,  
 58 vulgares oculos decipit histrio ?  
 59 Hic semet vacuo gyrat in aere.  
 60 Auget prodigium fixus aheneis,  
 61 quos portavit equus, tempora calceis.  
 62 Emulgere catus Turca pecuniam  
 63 quidvis incipiet, quidlibet audeat.  
 64 Signant Hippodromon Caesaris aeneae  
 65 serpentes geminae. Cur ibi plauditur ?  
 66 Buxo multifori tibia personat.  
 67 Deducunt aliquem tympana laetius,  
 68 sparsis purpureum floribus. Ultimas  
 69 o quis nos Aquilo portet in insulas ?  
 70 En, Jodoce , virum : qui Venetos tibi  
 71 jactabat proceres, seque parentibus

72 Tuscis progenitum, callidus hoc Sinon  
 73 mendicare dolo : nunc tamen et fidem  
 74 ejurat patriam, et Romulidum sacra :  
 75 et cultri patitur crimina saxezi.  
 76 Cur non ut Phinees irruo turpibus  
 77 bacchantem thiasis sternere Zambrium ?

AUCTOR INDIGNABUNDUS CONSTANTINOPOLIM RELINQUIT ET AD BOIOS REVERTITUR

04\_39 v.1 At non sepulti pulvere Thracio  
 2 manes avorum, dedecus hoc sua  
 3 post fata sperarunt : nec ipse  
 4 barbaricis, animose Flavi.  
 5 Te polluendum credideras notis.  
 6 Sacrum profanus scurra Palatum  
 7 incestat : et servire natus  
 8 in veteri dominatur aula.  
 9 Mutata cernas omnia decolor  
 10 supra fenestras effigies : ubi  
 11 sublimis, in caelum tuenti,  
 12 sidereum tibi visa signum  
 13 crux eminebat ; vilos et ultimus  
 14 planeta, summis fulget honoribus :  
 15 tollitque inani plena fastu  
 16 cornua, supplicibus coronis  
 17 ac ture cultus. Caedibus atria  
 18 implentur : et quo dormieras loco.  
 19 Praeseppe foedatum solutis  
 20 hinnit equis, ululantque lixae.  
 21 Et efficacem nullus adhuc manum  
 22 promittit ulti ! Nullus atrocium  
 23 contra Gelonorum rapinas  
 24 Dardanius movet arma miles !  
 25 Ignava quid non imminuit quies !  
 26 Sensem malorum perdidimus mali  
 27 doloris heredes. Pudenda  
 28 usque juvat tolerare probra.  
 29 Atqui decebat jam Rhodon et Cyprum  
 30 dempsisse victis : jam juga Bospori  
 31 calcare victores, et omnem  
 32 Hungaria pepulisse Lunam.  
 33 O quisquis audes, bella Propontidi  
 34 armatus infer. Bella mari sonent  
 35 terraque. Miles, stringe ferrum,  
 36 scande ratem, propera dolones,  
 37 incumbe in iras, deice, deice  
 38 pannis iniquum sidus, et obrue  
 39 novis vetustatem ruinis.  
 40 Se Geticus Sybarita nostra  
 41 in urbe jactet, rideat exules ?  
 42 Sed haec tenaci, Birre , silentio  
 43 cauti premamus : ne catena  
 44 colla dati laqueove circum  
 45 intertrahamur. Qua capimus fugam  
 46 celoce ? Pontum cras iterabimus.  
 47 Me Phoebus in somno quietum

48        corripuit, simulatus ora  
 49        nautaeque vestes : et docuit sacra  
 50        ex fronde lauri fingere nobilem  
 51        Argo . Carinam, transtra, remos,  
 52        velaque, veliferamque malum  
 53        arbos in usum suggerit unica.  
 54        Io vehamur. Sic placide domum,  
 55        per stagna portatura vatem  
 56        Pegaseae repetemus undae.

## AD VIRGINEM MATREM. KALENDIS MAIIS. ANNO MDCXLI.

04\_40    v.1        O quam te memorem dea,  
 2        vitae praesidium et dulce decus meae  
 3        quae tandem niveo redux  
 4        Lunae curriculo, pristina languidae  
 5        menti gaudia sufficis.  
 6        Jam quae tarda pigro torpuerat gelu,  
 7        altum vena micans salit.  
 8        Rursus templo lyram, certaque mobiles  
 9        depectit radios manus :  
 10      et carmen tremulum, Virgo, tibi ferit :  
 11      nil gratum, sine te, meae  
 12      respondent citharae : sed simul halitum  
 13      persensere tuum fides,  
 14      verant Aoniis continuo rosis :  
 15      et fontem prope limpидum,  
 16      luctu deposito lenius insonant.  
 17      Auritum nemus assilit.  
 18      Sic o saepe veni, Diva, decentium  
 19      Mater blanda cupidinum :  
 20      et longas reseca Pieridum moras.  
 21      Tecum vivere amem libens :  
 22      et, si fata vocant, non metuam mori.

## AMBITIONIS INGENIUM ET TORMENTUM.

04\_41    v.1        Venata summos ambitio viros  
 2        simul tenaces fortiter attrahit  
 3        dolosa chelas : vae, retentam  
 4        usque manum, licet ejulantum  
 5        constringit arte : ni pueri fleant,  
 6        missura numquam. Miserit : ocios  
 7        reddibit ad poenam libido  
 8        acrior, et cupiet dolere.  
 9        Quid istud aevum tristius inquinat,  
 10      quam gloriosae rixa cupidinis ?  
 11      Statura proh quanto labore  
 12      bella placent, pretioque mortes ?  
 13      In hoc tumultu propulit integras  
 14      classes Adolphus ; seque Alemanniae  
 15      infudit exsultante cursu,  
 16      nubigenas imitatus amnes.  
 17      Hoc Lusitanos, hoc rotat Angliam,

18 Gallosque torvae miscet Hiberiae :  
 19     hoc pene Belgarum Leonem  
 20     sternit, et in sua frangit ossa.  
 21 In omne praeceps itur, et ultima  
 22 tentantur armis. Cartigenae mari  
 23     terraque decertant, parati  
 24     per medias equitare strages.  
 25 Qua rima regni vel tenuis micat,  
 26 furtim lupinum porrigitur caput :  
 27     circumque balatus ovilis  
 28     dens gladiis hebetandus instat.  
 29 Quivis beatum se spoliis fore  
 30 desideratis credit, et aestuat.  
 31     Frustra. Voluptas, et triumphi, et  
 32     Mars et honor, titulique et aurum,  
 33     non vera nostri sunt animi bona.  
 34 Haec dico vates : cuncta sibi bona !  
 35     Ut quisque largiatur uni ;  
 36     cuncta negat, sua qui negavit.

## AD MARCUM LOSAM NASWISIUM, BERNARDI LOSAE NASWISII FR. RHETOREM

04\_42 v.1       Qui verum sibi dicere  
 2     coram, non timide, non muliebriter  
 3       vultu judicis audeant ;  
 4     paucos inveniet nostra severitas ;  
 5       plures copia Zoiros.  
 6     Raris pone latens mantica notior,  
 7       quam frontis redimiculum ;  
 8     aut mappa alterius tincta paropside.  
 9       Fastos excute Dardanos :  
 10      numquam Momus iners defuit urbibus .  
 11       Illum gignere si nequit  
 12      infecundus homo, parturient sues,  
 13       omni scrofa sub illice.  
 14      His fungis etiam grandinat et pluit.  
 15       Cum ranis caput efferunt.  
 16      Mores et faciem praeter euntium  
 17       liventes animae petunt,  
 18      hamatisque cavant unguibus omnia.  
 19       Harpyiae velut improbae  
 20      Phineas sanie polluerant dapes.  
 21       Nolis tu, Losa, talium  
 22      censorum fieri : qui sibi noctuae  
 23       sint, talpaeque domi ; foris  
 24      stricto pervideant omnia lumine,  
 25       ut serpens Epidaurius.  
 26      Quando exempla virum fortiter acrium  
 27       te Romana trahunt, age  
 28      nasicam refer, et Pompilium Numam,  
 29       castos moribus integris.  
 30      Sis Bruto gravior. Sis rigidus Cato,  
 31       sis Marcus quoque Tullius.  
 32      Verum, Marce, tibi. Publica res nihil  
 33       privatum minuat bonum.  
 34      Cui facunda paras ore tonitura ?

35               Quis Romae nocet, aut facies  
 36        tectis sacrilegis turbidus initit ?  
 37        Consul, consule patriae.  
 38        Sed parces, Cicero, longa minacibus  
 39        curis oppida verrere.  
 40        Quemcumque in speculo videris. Hunc time  
 41        infestum Capitolio.  
 42        Quae rentis tacito pinnirapus latet  
 43        fors Antonius in sinu.  
 44        Illi, docte, tuas, Marce, Philippicas  
 45        impendes animosius.  
 46        Discedente die, si male conscientia  
 47        mens damnet sceleris reum ;  
 48        aude verba loqui grande sonantia.  
 49        Cur tu patricius pugil,  
 50        perjurus socias arma latronibus ?  
 51        In me cur gladium geris ?  
 52        Insontes jugulas, civibus invides,  
 53        praeponis Venerem Jovi :  
 54        castis insidias virginibus struis.  
 55        Tu nudum populo latus,  
 56        et simplex hominis pectus, adulterae  
 57        monstrasti. Bibis ac vomis  
 58        inter thyrsigera brachia Fulviae.  
 59        Exi, si renuit, voca  
 60        lictores : meritis utere fascibus.  
 61        Tum felix (animus) tua  
 62        strabit Roma suo perpetuum loco.

AD D. V. REGINAM CAELI, IN COLOSSEA EX ORICHALCO STATUA ANTE PALATIUM

04\_43   v.1       Qui Palatinæ tua signa moli,  
 2        Virgo, praefixit ; colit eminentem  
 3        non foris tantum, sed et intus ipso in  
 4        pectore gestat.  
 5        Ille, te propter, medios in hostes  
 6        vadat exsultans : animamque magnam  
 7        prae suis Princeps oculis amatae ef-  
 8        fundat in ora :  
 9        jure dilecti ducis ordinatae  
 10        praesides aulae, moderaris urbem :  
 11        jure Telluris Bavarae patronam  
 12        fama salutat.  
 13        Cuncta te legum penes est potestas  
 14        regnaque et reges et opes superbae :  
 15        quaeque stellarum vehitur curuli  
 16        gloria tergo.  
 17        Sceptra se flectunt, nitidaeque gemmis  
 18        dulce te coram trepidant coronae :  
 19        cum sacrum praesens acuis severi  
 20        fulgur honoris.

## AD CLARISSIMUM VIRUM NICOLAUM LUCEM, ANTONII LUCIS, FORTISSIMI MILITIS

04\_44 v.1 At vero vidi. Lux, oculum mihi  
 2 utrumque demes ? Vidi ego Sarmatis  
 3 erepta, delubrique summo  
 4 fixa tholo radiare signa :  
 5 circum Polonis illacrimantibus  
 6 probro suorum. Vidi ego Pannorum  
 7 concisa loris terga. Vidi  
 8 tristibus irrubuisse flagris,  
 9 vinctas gementis Dalmatiae nurus.  
 10 Vidi puellas ac pueros foro  
 11 prostare venales, amarus  
 12 ibat in imperiosa Mango  
 13 pendens adactis verbera taureis.  
 14 Lascivus emptor corpora funibus  
 15 traxit catervatim per urbem,  
 16 utque canes ferus egit ante.  
 17 Captiva pubes Christiadum solo  
 18 defixa vultum, scissa rudentibus,  
 19 lassata maeandris viarum.  
 20 In stabulis ululavit aemi.  
 21 Sic Turca nosci gaudet, in omnia  
 22 praelargus irae : qua Tanais fluit  
 23 Nilusque et Hister, quaque Orontes,  
 24 et medio maria alta tractus.  
 25 At nos tot annis egregie geri  
 26 civile bellum credimus, haud parum  
 27 incuriosi, quid tyrannus  
 28 orbis agat, genitusque latro :  
 29 quot ille campos demetat ensibus,  
 30 arcesque vastet turpius (heu pudor !)  
 31 In nostra vesani rotare  
 32 membra globos, calidumque ferrum.  
 33 Nondumque finis ? Surgite Teutones :  
 34 sat est cruento dedecori datum.  
 35 Sit vita, Germanusque sanguis  
 36 In pretio ; neque more vaccae  
 37 tingat macellum. Degeneres sequi  
 38 negat triumphus. Surgite viribus  
 39 ad arma conjunctis, et una  
 40 frenigeras sociate dextras.  
 41 Quam vestra toti nomina fabulam  
 42 fecere mundo, nunc melioribus  
 43 delete signis. Ite porro,  
 44 quo croceo vocat ipsa curru,  
 45 Aurora supplex. De grege Bistonum  
 46 Orco dicandas mittite victimas.  
 47 Omnes ut incumbant securi,  
 48 hanc veniam meruere solam.

## AD ARBOGASTUM HARPHIUM. ATHEOS HUIUS SAECULI

04\_45 v.1 Aut ex profundo duxit amystides  
 2 oblivious fluminis otio,  
 3 mortale vulgus : nec stuporem

4        exiguo bibit ore mentis :  
 5        aut stirps caducis arboribus sata,  
 6        jamque exsecratis, quas Sinis improbi  
 7            Scironque latrones, in arcum  
 8            flectere funereum solebant ;  
 9        primaeva rursum in robora et horridas  
 10      migravit ornos aut Epimethea,  
 11            certum est, sepulti membra Mundi.  
 12        Ex solido reparasse saxo :  
 13        cum pone jecit semina montium,  
 14        truncasque rupes ; unde novum genus  
 15            surrexit e terra ; sed, eheu,  
 16            marmoreo nimis ore durum,  
 17            nimisque jactus et patriae memor  
 18            propago glebae, non libet ardua  
 19            virtute niti non sereno  
 20            sole frui, faciemque dignam  
 21            praebere caelo, quamquam etiam nigras  
 22            minere ranas, regnaque tristia :  
 23            non plus movetur, quam Pachyni  
 24            saxa, Caledoniaeque silvae.  
 25        Fides avito quae steterat tholo,  
 26            contusa pugnis et colaphis jacet.  
 27            Auriga curru, nauta remo,  
 28            miles equo properant ad Orcum ;  
 29            post fata, nulli se fore creduli  
 30            (vesanus error !) parte superstites.  
 31            Hoc fonte derivata manant  
 32            in proceres mala purpuratos.  
 33        Non una, si fas dicere, paenula  
 34            foetens eodem stillat ab ulcere.  
 35            Et numen accensis tonare  
 36            nubibus et quatere ima terrae  
 37            miramur, Harphi ? Nil equidem precor ;  
 38            qui cuncta terres secula fulmine,  
 39            insurge vindex, et trisulcos  
 40            congemma jaculator ignes.  
 41        Quod si nocentes non satis est pati  
 42            civile bellum : tela Typhoeis :  
 43            majora vibra junge vires  
 44            Odrysias : redeant ab umbris  
 45            primi Bohemae caedis aruspices.  
 46        Turnus Viennam, Gabor Iazygum  
 47            subnixus armis, turbet omnem  
 48            Pannoniam ; revoletque Corvus  
 49            Mansfeldiani signifer agminis.  
 50        Et proditores, et Walesteinii  
 51            bifrontis oestrum, et fas nefasque, et  
 52            flante duplex Aquilone Suecus ;  
 53            et motae ab imo grandia Balthidos  
 54            cetae, et Batavi rursus aquarii  
 55            saevire festinent malorum  
 56            in cumulum recidiva ferro  
 57        Europa pomum fleibile mordeat :  
 58            lis unde, morbisque, atque Hecateide,  
 59            pestes in herba, et ex sepulto  
 60            saeva fames oriantur osse.  
 61        Impune nullum quadrupedum genus

62 tangatur. Ipsae jam noceant oves.  
 63 Aratra subvertat coloni  
 64 Taurus, et effugiat securim.  
 65 Confusa rubro sole parelia  
 66 diem cruentis vultibus inquinent :  
 67     turboque, et insani cometae  
 68     belligeram vehat aura nubem.  
 69 Ruant et amnes, et nemora, et juga,  
 70 montesque totos praecipiter fragor,  
 71     et grando diversi coloris :  
 72     et pluviae picis, ac rudentum  
 73 incocta cano vincula sulphure :  
 74 Cocytiisque e gurgite spiritus  
 75     tetri procellarum et frementum hin-  
 76     nitus aquarum, Acheronte moto,  
 77 et Styx arenas, et Phlegethon truces  
 78 eructet undas. Omnia sed juva,  
 79     o mater irati Tonantis,  
 80 jam meriti sumus, et meremur.

## TRIUMPHUS B. MARIAE VIRGINIS SUB TITULO REFUGII PECCATORUM

04\_46 v.1 O ego qualem feror in triumphum !  
 2 Sic ames nosci, generosa Virgo.  
 3 Cincta Bernardis liquidi refectis  
 4     ubere caeli.  
 5 Tanta Bellatrix videare nondum ;  
 6     quanta, cum duri Guilielmus oris  
 7     colla submisit, subito tremore  
 8         fusus humi dux.  
 9 Militem campus probat et duellum :  
 10     mota Tirrheni salis unda nautam :  
 11     cum decem montes struit et propinquis  
 12         nubibus infert.  
 13 Facta te laudant Superi minores,  
 14     ulceris curent levioris aegrum :  
 15     siqua pallorem redditura duxit  
 16         febris in ore.  
 17 Diva divisorum, genus omne morbi  
 18     intimo mentis fugat ex recessu ;  
 19     efficax venis procul insidentem  
 20         pellere mortem.  
 21 Turgidus nummis tibi cedit hydrops.  
 22 Suplices fastum posuere venti  
 23     cessat amplexu Veneris perulcus  
 24         serpere cancer.  
 25 Te nec afflitti pudet ad triremim.  
 26 Gloriabundae similis, scelestos  
 27     inter exsultas lepidam per astra  
 28         ducere praedam.  
 29 Inter audaces manifesta fures,  
 30     inter armatos graderis latrones :  
 31     et rotae cultos, placidoque signas  
 32         sidere furcam.  
 33 Culeum quinta meritus securi,  
 34     mille nocturnis laqueos rapinis,

35       ignibus flamas, tua sunt sub ipsum  
 36       gaudia bustum.  
 37       Saepe peccantis licet obstinatam  
 38       percutis frontem, pluviasque duro  
 39       elicis saxo. Lacrimis fluit Mar-  
 40       pesia cautes.  
 41       Te suam, Virgo, vocat illa Matrem,  
 42       quae vel excussit thalamo sorores ;  
 43       vel recens turpi mulier luparum e  
 44       fornice prodit.  
 45       Thais exemplo. Quotiens ab imo  
 46       invidet stridens et anhelat Orco  
 47       raptor infernus, bifidoque terram  
 48       ter pede pulsat ?  
 49       Sibilis at tu nihil ejulantis  
 50       mota, subridens : hilarique vultu  
 51       torva, calcatum nebulonem amaro im-  
 52       pingis Averno.

SCRIPTURUS HISTORIAM SUI TEMPORIS, VERITATI NUDAM ARAM PONIT. ANNO M. DC. XLII.

04\_47   v.1       Qualem Noemus montibus altior  
 2       enavigatis, Oceani simul  
 3       subsedit aestus ; fertur aram  
 4       ex rudibus statuisse saxis :  
 5       hic pono supplex, o dea pulchrius  
 6       soluta crines, rustica veritas.  
 7       Non Atticum promitto marmor  
 8       arte Scopae variatum, et auro :  
 9       superque eburni pocula Mentoris.  
 10      Natura cultu simplice gratius  
 11      divos honorat, prona far, vel  
 12      viva focis adolere tura.  
 13      Quamvis Sabaeo funera misceas  
 14      odore, foetent : quidquid in ambitum  
 15      libido cogit, seu labore,  
 16      seu pretio ; minus enitescit,  
 17      metu veneni. Cinnamei quoque  
 18      incensa libri pagina, proditur  
 19      halare suspectum vaporem.  
 20      Difficile est, volitante fumo.  
 21      Nares aduncas demere posteris.  
 22      Impune manes subiciunt sibi,  
 23      moresque censendos supinant ;  
 24      factaque discutiunt avorum.  
 25      Dicenda pictis res phaleris sine  
 26      et absque palpo. Discite strenuum  
 27      audire verum. Me sciente,  
 28      fabula non peragetur ulla.  
 29      Non est meum, descendere ad oscula  
 30      impura famae, et fingere bracteas :  
 31      larvisque luctari superbis.  
 32      Aut nimias acuisse laudes.  
 33      Adversa quod si sors mihi durius,  
 34      numquam ferendis conditionibus  
 35      obstet ; reluctantemque cogat

36        non nisi delicias loquaces,  
 37        et laureatas scribere literas ;  
 38        Sparte relicta, corripiam silens  
 39        iniqua tum vindex amaro  
 40        specula, despiciamque risu.

## HELIOTROPIUM SIVE MENS HOMINIS AD DEUM VERSA.

04\_48 v.1        Jamque adeo toti nutu pendemus ab uno.  
 2                Alea jacta semel.  
 3        Numinis imperio commisimus omnia. Tanti  
 4                sit, retinere nihil.  
 5        Jusserit : in Libycis stivam ducemus arenis,  
 6                Caucaseoque jugo.  
 7        Jusserit : Ionia remos lentabimus unda,  
 8                Caucaseoque freto.  
 9        Observent timidi mergum, fulicasque marinas ?  
 10               Quid meditentur aves  
 11        litoreae ; fallax quo vento strideat aer ;  
 12               quid nova Luna coquat :  
 13        an tristes vultu protendat lurida nimbos,  
 14               anne serena micet :  
 15        dormiat, an refluum vesano concita cornu  
 16               arietet Oceanum.  
 17        Si Deus ire monet, numquam retinebit Orion  
 18               nubilus inter aquas.  
 19        Ut gladio findat mediae fundamina navis,  
 20               tutior asser erit.  
 21        Sed neque Phoebeis aetatem metiar annis,  
 22               pendulus a radio.  
 23        Ille meas, quo non alter formosior, horas  
 24               temperat. Ille meus :  
 25        Sol major, parvique faber ; totoque videndus  
 26               altior axe scopus.  
 27        Huc desiderium jaculetur pectoris arcus,  
 28               quanta pharetra pater.  
 29        Certior huc pleno, quo meta remotior, ictu  
 30               nostra sagitta volat.

## AD VIRGINEM MATREM, PRO EUTHANASIA, SIVE, FELICI MORTE. CARMEN VOTIVUM.

04\_49 v.1        O diva, vitae praeses, et altera  
 2        spes vatis : olim cui mea, me super  
 3                servum dicavit : da, prius quam  
 4                fata citent oculosque claudant.  
 5        Da paenitentes, et lacrimas sacro  
 6                dolore laetas, in mare Creticum  
 7                quascumque projectura noxas.  
 8        Tum tenera mea fila dextra  
 9                abscinde, Virgo, neu fragilem colum  
 10               tres fabulosae praecipitent anus.  
 11               Diffido. Tu devolve nostram,  
 12               jure tuam potiore lanam.  
 13        Hoc esto votum : sic, precor, ultima

14       ex cordis urna vita fluat : meus  
15       sic stagnet in majoris aevi  
16       Oceanum, gracilesque bullas  
17       aeternitati misceat Isara.  
18       Sic elabora, sic bene praepara  
19        praeambulandum luctuosae  
20       mortis iter ; placidoque somno  
21       compone manes. Hi voveant opes,  
22       aedemque ponant : caedat hic impares  
23       agnos, pavimentumque sparsis  
24       visceribus liniat hostiarum :  
25       ast ipse supplex, ipse ego taeniam  
26       gestabo, vittasque : ipse tibi cadam,  
27        evincta circum fronde lauri  
28       victima, procubitur ad aras.